BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
31 — G
8

Digitized by Google

8.31.C.8

Digitized by Google

Digitized by Google

ACADEMICARVM EXERCITATIONVM LIBER PRIMVS.

SIVE

DE ATTRACTIONE.

AVCTORE

IOANNE BAPTISTA MASVLLO

Medico, Philoſopho Neapolitano, & Academico Otioſo.

AD ILLVSTRISSIMVM, ET EXCELLENTISSIMVM DOM. D. Marinum Caracciolum Abellini Principem, &c.



NEAPOLI,

Ex Typographia Lazari Scorigij, M. DC. XXII.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISS. DOMINO

D. MARINO CARACCIOLO,

Abellini, Atripaldę, Bellę, Torellę, Sancti Seuerini,
Cataphractorum Equitum,& in Neapolitano Regno
Principi, Duci, Marchioni, Comiti, Regulo, Præfecto,
Magno Cancellario,&c.

ACademicæ lucubrationes olim ad exercitationem excultæ, nunc tibi (Excellentiſsime Princeps) ad antiquam mei in te animi obſeruantiam exercendam conſecrantur : neque enim par erat obſequium mihi meis è maioribus ingenitum ſilentio torpeſcere,quando tuis excitatum ſplendoribus eò excreuit, vt nulla mihi maior oſtentatio ſit ad gloriam,quàm tibi conſecrati animi imaginem his laboribus adumbrare. Ecquis ei ſe dicare non fatebitur quouis imperio glorioſius,qui nulla calamitate mollis,nulla auctoritate durus,non elatus ſecundis,non depreſſus aduerſis,non generis, non ditionum amplitudine tumens, non tantis

§ 2 digni-

Digitized by Google

dignitatibus difficilis, non morum elegantia ſeuerus, non virtutum ornamento inflatus, non ſcientiarum copia aſper, ſolus nobis videtur ad ætatis noſtræ decus, ad bonorum omnium ſeruatus exemplar? vt ſileam interim præſtantiſsimas corporis, & animi tui dotes, quibus in commemorandis languerent Athenæ, deficerent roſtra, obmuteſceret forum. Sed inter tot omnium plauſu celeberrima, ſingularis etiam in me benignitas eluceſcet, ſi auguſtiſsimo, quo ſoles, animo minimum hoc obſequij mei ſimulachrum excipere non horrueris: ita enim æternitatem, qua nihil maius excogitari poteſt, hoc opuſculum tuo ſub nomine conſequetur. Vale vrbis noſtræ amor, totius orbis honor. Neap. Kal. Decemb. M. DC. XXII.

Excellentiæ V.

Seruus humillimus

Ioannes Baptiſta Maſullus.

Digitized by Google

Auctores, qui in hoc Libro adhibentur.

AElianus
Albertus
Alcinous
Alexāder ab Alexādro
Alexāder Aphrodiſeus
Alexander auctor problematum
Ammianus Marcellinus
Andreas Laurentius
Apollonius Dyſcolus
Areteus
Argenterius
Ariſtophanes
Ariſtoteles
Arnobius
Atheneus
Auerroes
S.Auguſtinus
Auicenna
Aulus Gellius
Baptiſta Codronchus
Bernardinus Teleſius
Beroſus Babilonicus
Celius Aurelianus
Chriſtopharus à Vega
Cicero
Claudianus
Collegiū Conimbricēſe
Columella
Cornelius Tacitus
Diodorus Siculus
Diogenes Laertius
Dion Caſsius
Eliodorus
Fabius Pacius
Fernelius
Franciſcus Valleriola
Franciſcus Valleſius
Gabriel Falloppius
Galenus
Georgius Agricola
Gulielmus Rondeletius
Heſichius
Hieronymus Fracaſt.
Hieronymus Cardanus
Hippocrates
Homerus
Horatius
Iacobus Foroliuienſis
Io.Baptiſta Porta
Io. Argenterius
Iulius Solinus
Iulius Cæſar Scaliger
Iuſtinus hiſtoricus
S.Iſidorus.
Lactantius Firmianus
Lagus
Laurentius Ioubertus
Leuinus Lemnius
Lucianus
Lucius Apuleius
Lucretius
Ludouicus Mercatus
Macrobius
Marſilius Ficinus
Martialis
Mercurius Triſmegiſt.
Nicephorus
Ouidius
Paulus Oroſius
Petrus Apponenſis
Petrus Crinitus
Philo Iudeus
Picus Mirandulanus
Pierius Valerianus
Plato
Plautus
Plinius
Plotinus
Plutarchus
Polydorus Virgilius
Pomponius Mela
Pontanus
Porphirius
Proclus
Pythagoras
Quintus Curtius
Raſis
Rodericus à Vega
Ruffus Epheſius
Salluſtius
Sanctes Arduinus
Seneca
Serapio
Strabo
Suetonius
Suida
Syneſius
Theodorus Priſcianus
S.Thomas
Thomas Fienus
Titus Liuius
Turiſanus
Valerius Maximus
Varro
Virgilius
Vitruuius
Xenocrates.

Excr-

Exercitationum huius Libri ſummæ:

An natura dici debeat liberalis, atque munifica. Argumenti Introductio, pag. 1.
An vniuerſè attractio ad occultas, vel cœleſtes cauſſas referri debeat. Exercitatio I. pag. 10.
Quænam generalis cauſſa eorum, quæ attrahuntur. Exercit. II. pag. 20.
Quæ cauſſa attractionis inſtante, vt inquiunt, inanitate. Exercit. III. pag. 30.
Quo pacto ſimile à ſimili attrahatur. Exercit. IIII. pag. 45.
Quomodo calor attrahat. Exercit. V. pag. 53.
Quid materiam, in pluuias, aliàque conſimilia relabentem, ſurſum rapiat. Exercit. VI. pag. 61.
Vt flumina ad ſumma montium efferantur. Exercit. VII. pag. 71.
Qua induſtria ab animatis partibus alimenta trahantur. Exercit. VIII. pag. 81.
Qua ratione à quibuſdam membris, præter alimenta, alij quóque humores alliciantur. Exercit. IX. pag. 94.
Qua vi dolor humores attrahat. Exercit. X. pag. 106.
De Papilione lucernis aduolante. Exercit. XI. pag. 119.
Qua arte Remora trahat nauim. Exercit. XII. pag. 128.
De medicamentis, peculiares quoſdam humores trahentibus, aliorum ſententiæ refelluntur. Exercit. XIII. pag. 135.
Cur medicamenta certos trahant humores auctoris ſententia, aliarùmq; opinionum conciliatio. Exercit. XIIII. pag. 143.
De aue, bilem ex ictericis attrahente. Exercit. XV. pag. 151.
Quo ingenio ſpongiæ, aliàque id genus ſicca humores attrahant. Exercit. XVI. pag. 160.
Quid cauſſæ ſit, quamobrem argentum viuum rapiatur ab auro. Exercit. XVII. pag. 169.
Cur magnes ferrum attrahat aliorum opiniones coarguuntur. Exercit. XVIII. pag. 177.
De Magnete, ferrum attrahente, propria auctoris opinio. Exercit. XIX. pag. 190.
Quid magnetem ad polos; paleas ad Succinum conuertat. Exercit. XX. pag. 199.

Digitized by Google

ACADEMICARVM
EXERCITATIONVM
LIBER PRIMVS.
SIVE
DE ATTRACTIONE.
AVCTORE

IOANNE BAPTISTA MASVLLO.
Medico, Philoſopho Neapolitano,
& Academico Otioſo.

Digitized by Google

Digitized by Google

An natura dici debeat liberalis, atque munifica.

ARGVMENTI INTRODVCTIO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ETSI rerum procreatricem naturam non omnium modò ſenſus, atque conſenſus; ſed grauiſſima etiam argumenta quàm liberaliter, ac munificè nobiſcum egiſſe perſuadeant: cum tanta in eius auguſtiſſimo hoc theatro rerum omnium copia ſuppetat ad libidinem; vt eorum, quę deſideremus, priùs ſpecies videatur exhauſta, quàm inane ſuperſit deſiderium; ſi tamen rerum interiora ſcrutemur, & penitiſſima rationum momenta penſentur, tanta in re aſſeueranda nutabunt intelligentiæ, hæſitabunt ingenia: vt enim [a] Ariſtotelis illud prætercam, qui ad inertis cuiuſdam artis modum, hanc ipſam naturam ſuamet opera moliri animaduertens, vel omnia, vel plura prauè, quam rectè facere declarauit; liberalemne, vel munificam illam fatebimur, quę, non hominem modò, rerum omnium, [b] (Protagora auctore) menſuram; ſed vniuerſam quoque rerum omnium molem tantæ diſcordium hoſtium immanitati ſubiecit, vt nulla poſſit commune periculum concordia propulſari? Elementa, prima naturę ſemina, cœli

Ariſtotelis in naturam cōtumelia.

Homo rerū omniū mēſura.

Rerū omniū contētio.

Elemētorū certamen.

a Ariſt. 10. ſect. problematū problemate 44

b Ex Platone in Theeteto, Ariſt. 10 Metaph. text. 5. & Diog. Laertio lib. 9. in vita Protagorę.

ſundamenta, mundi cardines; omniumque rerum primordia, non ita dumtaxat inſtructa perpetuò ſunt, vt in aciem educta videantur; paribus vtrinque armis congreſſura; ſed etiam, vt pro ſua ipſorum ſolicita pertinacia, quaſi de imperio inſtitutum certamen indies magis, ac magis excitent, atque confirment: vnde enim obſecro vos immanes illi fluctus, iactationesque aquarum, quibus vel ipſe Oceanus ſuis propè ſedibus conuellitur, impetu adeò horribili excitantur; niſi à valido ventorum exercitu, quem terra, occupatæ forſan ſedis vindex, inſtruxit, atque parauit in aquam? vnde nubium illæ immenſitates, quæ aeris arcem vndique obſidentes, ipſum craſſiore mole opprimere videntur; niſi à coactis aquarum copijs, quæ fallacem vaporum perſonam ſuſcipientes, ſimulata quadam affinitate, aeris regnum occupare contendunt? vnde horribiles illi tonitruum ſtrepitus, atque fremitus, quibus non tantùm [c] fortiſſimi viri terrentur, ſed ipſa etiam mundi machina quatitur; niſi ab igne, qui dum aquarum imperium exhorreſcit, irruentium agmini reſiſtit, impetū frangit, & quaſſatis nubibus periculo obſidionis euadit? quid denique aduerſarum qualitatum conatus aſſidui, feruida contentio, nulla bellandi quies, ipſorumq; perennes elementorum viciſſitudines; niſi acerrimis hoſtibus cuncta obrui, & ad omnium oppreſſiones exardere vndique bella ſignificant? vt meritò de his etiam elementis [d] Lucretius

Quid terra moliatur in aquam.

Vt contendat aqua in aerem.

Ignis impetus i aquā.

Fortiſſimos viros tonitrua terrēt.

[c] Octauius Auguſt[us] tonitrua, & fulgura pau lò infirm[ius] expaueſcebat. Sueto. in Octau. Aug. c. 90.

[d] Lucretius lib. 1.

——— inimica modis multis ſunt, atque venena
Ipſa ſibi inter ſe. quare aut congreſſa peribunt,
Aut ita diffugient, vt tempeſtate coorta
Fulmina diffugere, aut ventos, imbresque videmus.

Nec præter ipſam naturam, cuius munificentia omnium voce percrebuit, alium profectò poſſumus tanti diſcri-

Digitized by Google

Aurea elementorũ ętas i ferreã cõmutata.

diſcriminis fateri auctorem: ipſa enim quando primęuam illam elementorum confuſionem, quę Chaos dicitur, in hanc aciem eduxit, tunc eiſdem à feliciſſimæ ætatis ſuauitate reuocatis, pugnandi impetum excitauit; vt quantùm in ea confuſione quieſsent, tantùm hoc ordine, turbata pace, fatigarentur; quin, vt ea ſub confuſione aurea ætate fruebantur, ita ferream deinde ſubirent: ea ſiquidem tempeſtate elementa, omnium per camporum æquora libera, nulloque coercita limite errabant; locorum erat communitas indiſcreta, nullius pugnæ veſtigium, æqua omnium innocentia, ſumma tranquillitas, vt meritò confuſio illa nomen aureæ elementorum ætatis mereretur. ab hac verò felicitate ſola natura per belli ſui ordinis ſpecie, elementa, certis tantùm locis, anguſtisq; concluſa limitibus, ad hoſtium impetus, ad pręlia, tanquam ad ferream reuocauit ętatem. hæccine eſt humaniſſimæ parentis liberalitas? hęc munificentia? liberalitas quidem; ſed ea, qua, vel ſordida, charior foret auaritia. munificentia, quæ nihil eorũ, quibus oppreſſio inualeſcit, largiſſimè non effundit.

Plurima nõ paucis cl a-riſſima naturæ ſtudio occultãtur.

Sed ſatis fortaſſe labefactatę ad nos elementorum contentiones, & ferè inanes impetus pertinent. acriora ſunt, quę nos vrgẽt, ac celebrata illa naturę encomia euertunt. Mitto equidem, naturã, ſummo auaritię ſtudio, pretioſa quęque, nec paucis chariſſima, maximis vndique difficultatibus circumſepta, latebroſis terrarum anfractibus occultaſſe. Sic aurum, altiſſimis conditum montibus, deliteſcit, ſummo tantùm labore detegendum. Margaritas Oceani vaſtitas tuetur, eiuſdemq; generis omnia, quę pręclara liberalitatis poterant eſſe monumenta, intimis terrę viſceribus cõcluduntur, vnis barbaris quandoq; expoſita nationibus. & iure quidem hęc mitti debent, quę quantùm alijs pretioſa, tantùm

Digitized by Google

philoſophis vilia,& planè ſordida videntur.Mitto quas [e] alij in eandem naturam, hominis nouercam, vt inquiunt, potiùs quàm parentem effundunt contumelias, iaciunt querelas, dum vnum inter vniuerſa animantia,nudum hominem vident,natum ad lachrymas, ad labores,ad morbos, ipſumq; pariter vnum auaritia, ambitione,viuendi libidine,omnibus ferè malis, miſerijsque iactari.Mitto inquam hęc,quę adeò poſſunt hominis prudentia effugi, vel ſaltem emolliri, vt homo fortaſſe haberi non debeat,qui eis omninò ſuccumbit. Illa verò mihi videntur acriore iudicio perpendenda, quę quò magis noxia,eò minus nequeunt humana induſtria euitari. Ecquæ magis homini deploranda ſimul,& neceſſaria calamitas,quàm eius animus ex altiſſimo,vt inquit [f] Cicero,domicilio depreſſus in terram, locum diuinę naturę,ęternitatique contrarium?corpus hoc nobis ad pœnam ędificatum videtur pro carcere; non autem ea, vt alij crediderunt, vincula, quibus vix in lucem hanc editi vincimur; quo iure [g] Seneca corpus animę pondus, pœnam, & vinculum appellauit: eo enim animi vigor obruitur, lumen extinguitur, inſignia obſoleſcunt,flos dignitatis infringitur;vnde meritò [h] Plotinus, pudore quodam affectus, quòd hoc corpore rationalis anima detineretur,mortem exoptarit; vel,ſi quantum eiuſdem corporis nomine cruciamur eluceſceret, non iniuria cum [i] Theophraſto,tunc nos mori cum viuere incipimus,affirmaremus.Sed vnicum huius eſto argumentum, quod naturę munificentia obſignauit: ipſa enim, non plura modò elementa; [K] ne eſſemus doloris expertes, noſtri corporis compagibus incluſit; vt videatur hoc ex pluribus contrarijs, clandeſtino impetu inter ſe irruentibus,cõflatum monſtrum; ſed etiam, quod immaniſſimę cenſeri debet proditionis

e Plin.lib.7. i proemio.

Naturã alij hominis nouercam appellant.

Quæ ſit maxima hominis calamitas.

f Cic.de Senect.

Quo ſe habeat corp⁹ ad rationalem animã.

g Seneca lib.8 epiſt. epiſtol.66.

h Ex Porphirio i vita Plotini.

i Ex Diog. Laert.lib.5. i vita Theophraſti Creſij.

Cur corp⁹ ex pluribus contrarijs conſtitutũ.

k Hippocr. lib.de natura humana.

ditionis

Digitized by Google

Vnus, idemque calor eſt cauſſa vitæ, & mortis.

ditionis argumentum, humorem, quo nutrimur, ita noſtro calori ſubiecit, vt, dum hic alimentum abſumit, neceſſariò ab eodem, quo viuimus, calore perdamur, ideq; ſeruator vitę ſit auctor mortis, & , vt dicebat [l] Hippocrates, eodem calore, quo viuimus interficimur, vel, vt de Hectore ſcripſit * Homerus, tua te fortiſsime virtus conficiet. Tantùm natura prolixa in malis, in bonis autem auariſsima.

[l] Ex Gal lib. de Marcore c 3. Ar. lib. de lõgit. eo br. u. t. vitæ c 5.

* Hom. Iliа. Z lib. 6.

Quæ ſit liberalitatis ratio.

Sed quid in corporis malis enarrandis commoror, ſi grauiora, quæ animæ ſunt, acriùs nos ſolicitant? Certa, ipſoquemet [m] Ariſtotele confirmata liberalitatis ratio, ea prolixè, cumulatèq; dari exigit hominibus, quorum & ipſi, prę omnibus, indigent; quis verò non videt, homines veritatis cognitione quàm maxime indigere: cum eam, vel ipſius naturæ ſtimulis excitati deſiderent, ſemperque anhelent? & tamen hanc vnam, præter cętera, videtur ipſa natura adeò occultaſſe, vt meritò illã dixerit [n] Democritus in profundo demerſam. atqui vtinam veritate demerſa, ea quorum ſcientiam exoptamus, pariter obruiſſet, nè illorum aſpectus inane deſiderium refricaret; ipſa verò bonorum ſterilis, malorum parens fœcundiſſima, quantùm veritatem abdidit, tantùm ea, quorum notitię inhiamus, expoſuit, ùtque pręteream alia; Magnetem ad ſe ferrum allicientem quis eſt, quin videat? quis eſt tamen, qui in huius rei cauſſa veritatem, etſi debilitatam, obtineat? Spongijs, alijsq; eiuſdem generis ſiccis contraria humida attrahi omnes quotidie intuemur; cauſſam verò omnes pariter ignoramus. Moratur Remora, trahitq; , vel plenis velis concitatam, nauem; de tantæ verò efficacitatis origine hoc vnũ ſcimus, quòd eam neſciamus. Trahuntur ad altiſſima montium aquę in fluuios emerſurę; quibus autem machinis nullus potuit enarrare. Auem quandam

Cuius hominis maximè indigeant.

Sola veritas quã ſit abſorſa.

Ea, quorum veritatẽ ꝑpetim⁹, quã ſint expoſita.

Pręcipua argumenta huius libri.

[m] Ariſt. 4. Ethicor. c. 1.

[n] Ex Diog. Laer. lib. 9. in vita Pyrronis, Lactantio Firmiano lib. 3 diu. in. initit. c. 30. & Cicer. Acad. quæſt. lib. 2.

cognouit

cognouit antiquitas, quæ ſolo oculorũ obtutu ab eis, qui regio appellato morbo corripiuntur, bilis per cutẽ diſperſas particulas ad ſe rapit; ſolidam tamen huius rei cauſſam neq; ipſa poſteritas nouit. & tandem multis, varijſque attractionibus vndique elucet natura, totidẽq; modis veritas occultatur. Simplicia, miſtaq; corpora, animata ſimul, & inanimata attrahuntur, & in tanta rerum omnium attractione nos ſoli à veritate retrahimur. & poterimus eam, quæ tanta induſtria veritatem, quodam iure nobis debitam, nobis eripuit, liberalem, atque munificam appellare? patiemur auguſtiſſimum liberalitatis nomen in tam iniurioſa debitorum fraude ſordeſcere?

Ita quidem de naturæ beneficijs opinionem, hominum animis tam penitus inſitam, tàmq; vetuſtam rationum momenta poſſent euellere. Sed, vt verum nos etiam fateamur, nulla vnquam ratione, nullis machinis poteſt veritas obrui, vel tantulùm debilitari: ipſa enim ſophiſmatum fallacias eludit, argumentorum inſidias negligit, ingeniorum calliditatem eneruat, in difficultatibus emergit, aduerſis recreatur, oppreſſione clariùs eluceſcit. quid autem veriùs, quàm adeò prolixam fuiſſe naturam, nobiſque munificam, vt tanta nequeat largitas à commemoranda etiam prodigalitate ſeiungi? ipſa perennem aquarum fœcunditatem, vberes terrę delitias, iucundiſſimum cœli huius aſpectum, omnium imperium, ſuauiſsima quęq; cumulatè ſuppeditat. ipſa adeò mitis, vt beneficia, tanquam debita, exigamus; tantùm benefica, vt vitam, noſque ipſos nobis elargiatur; ita denique præ liberalitate ſe ipſam effundit, vt pręter ea, quæ, quoniam ab ipſa cõceſſa ſunt, naturalia appellamus, nullibi naturam inuenias. & poterimus deinde fallacibus quibuſdam argutijs, ac ratiunculis, huius cõtrarium

Veritatis vis.

Naturæ liberalitas, & munificentia.

trarium

trarium petentibus cedere? vafris ingeniorum technis atque verſutijs, quę glorioſiùs iactātur in vulgus, quàm ſolidiùs confirmentur, credere? vel tantùm potiùs cęcutire, vt euidentiſsimam naturę munificentiam non intueamur? quid? quod illa etiam rationum momenta ſi ęqua lance penſentur, non ſummam dumtaxat naturę prudentiam, ſed eandem quoque liberalitatem confirmabunt: etenim neceſsitate quadam natura illas acies inſtruxit, pugnas, atque certamina concitauit. & procul dubio par erat, eam primò neceſsitati ſeruire, quę ſibi poſteros neceſſariò volebat obſequuturos. quòue artificio tot varia, atq; in omnem partem diſiecta genuiſſet natura; niſi generantes, vt ita dicam, corruptores, vndiq; concitatos ad pręlia, diſſeminaſſet? vt hoc etiam nomine bellum poſsimus cum o Luciano, rerum omnium parentem aſſeuerare. quo pacto ſe ſe omnia procrearent; niſi contrariorum vbique contentio exardesceret? vt non temerè cenſuiſſe videatur p Heraclitus, nihil gigni poſſe, ſi omnia affinitatis coniunctione deuincirentur. vel quam ad harmoniam rerum vniuerſitas caneret; ni ſuis contrarijs contraria mulcerentur? quo ſtimulo omnium hominum conſuetudo, atq; ſocietas firmarētur ſi omnia vbique gentium pariter abundarent? vel quæ regionum varietas, ſi omnibus omnia locis naſcerentur? vt perappoſitè q Virgilius.

Qua neceſſitate ipulſa natura tot certamina concitarit.

Bellum rerum omniū parens.

o Lucianus de conſcribenda hiſtoria.

p Ex Marſilio Ficino in Timeum cap. 18.

Cur omnia omnib⁹ pariter locis non abundent.

q Virgil. 1. Georgicor.

Hic ſegetes, illic creſcunt feliciùs vuæ,
Arborei fœtus alibi, atque iniuſſa vireſcunt
Gramina; nonne vides croceos vt Tmolus odores,
India mittit ebur, molles ſua thura Sabei;
At Chalibes nudi ferrum, viroſaque pontus
Caſtorea, Eliadum palmas Epirus equarum?
Continuò has leges, æternaque fœdera certis
Impoſuit natura locis.

Quippe

Publica vtilitas non ſine alicuius peculiaris damno.

r T.Liu. de bello Maced.&Aſia. lib. 4.

ſ Tac. Annal. lib. 14.

Quippè dum omnium varietatem natura molitur, dum varias locorum leges tuetur, quę vni largè concedit, alijs cogitur denegare. ita nulla (vt apud [r] Liuium inquit Cato) lex ſatis commoda omnibus eſt; id modò quæritur, ſi maiori parti, & in ſummam prodeſt. vel habet (vt ſub Caſsij perſona inquit [ſ] Tacitus) aliquid iniqui omne magnum exemplum, quod contra ſingulos vtilitate publica rependitur. Quid? quod ita commercio gentes vndique commiſcentur, vt quod genitum eſt vſquam, id apud omnes gentes natum eſſe videatur, atq; adeò locorū etiā ſeruata varietate omnia omnib⁹ exuberāt? Nec minore artificio in corpus animā incluſit, qđ vno voluit calore viuere pariter, & interimi: ſic.n. per intelligentiā operatur anima, intelligētia per ſenſus, ſēſus per corpus, corpus per calorē, calor in humido conſeruatur; vt, cum nexu quodam ſeruitij ſeſe hęc omnia amplexentur, falsò hac parte quęratur (vt inquit [t] ille) de natura ſua genus humanum: quippè quæ dum homines euexit ad bona, non potuit non excitare ad mala: quid enim poſſet ſanitatis particeps, morbis non eſſe obnoxium? quid virtutum compos, & vitiorum expers? quid operari in corpore, & corpore ſimul excludi? quid humorem abſumere, nec abſumpti humoris defectu areſcere? vitę incōmoda hęc ſunt, quę non commodorum ſola compenſatione leniuntur; ſed porrò vberiore fœnore trucidantur. Ita denique ex omnium aſpectu eripuit veritatem, ne nos pariter è rerum omnium cœtu eripere cogeretur: ad quid enim rationis, qua vna pręſtamus belluis, compotes nos feciſſet, ſi rei veritatem noſtris manibus conceſsiſſet? quis intelligētię vſus, vbi omnium certitudo naturaliter innoteſceret? quę ratiocinandi neceſsitas veriſsima intuentibus? quòd ſi natura tales nos genuiſſet (inquit Cicero)

Cur ī corpus anima ſit incluſa.

t Salluſtius de bello Iugurt. in principio.

Cur quędā vitæ incōmoda naturalr ſubeamus.

Cur adeò penitùs veritatē natura abdiderit.

Digitized by Google

a Cicero) vt eam ipſam intueri, & perſpicere, eademque optima duce curſum vitæ conficere poſſemus, haùd erat ſanè quod quiſquam rationem, ac doctrinam requireret. vt igitur rationis, intelligentiæque participes homines harum facultatum munera explerent, veritatem ita demerſit, vt ſolis rationum machinis efferatur. Noſtrum verò eſt Academici, has machinas commoliri, adhibere, & obrutam veritatem eruere. Noſtrum eſt difficultatum aculeis circumſeptam extricare, nouarumq; rationum æquitate recreatam in Illuſtriſſimæ huius Academiæ cęlo, in oculis, conſpectuq; omnium exponere. Noſtrum denique eſt ignotas hactenus cauſſas explicare, arcanos effectus detegere; difficillima quæque planiſſimè expedire. Me ipſe, pro meis ſemper viriculis, in qualibet attrahentium facultate expendenda poſthac apud vos exercebo; ita tamen, vt quemadmodum x Ariſtoteles adoleſcentes, non ad philoſophorum morem tenuiter diſſerendi; ſed ad copiam rhetorum in vtramque partem, vt ornatiùs, & vberiùs dici poſſet, exercuit; ita & nos noſtras vires exerceamus, voſque de qualibet exercitatione cenſeatis. Et ſanè attractionis campus longè, latèq; patens, ac vberrimus adeò eſt, vt, ſi vndique diſiectis vepribus, explicetur, iucundiſſimos poſſit hinc flores, gratiſſimas inde fruges, ſuauiſſimos vndique fructus afferre. & quamuis nec equidem ignorem, feliciorem ingenij falcem ad eum extricandum requiri; nobis tamen ſat erit ſi inter ſpinarum frequentiam, vel anguſtiſsimam alijs ſemitam noſtro labore ſternamus.

Academici munus.

Argumenti huius libri præſtantia.

a Cic. 3. Tuſcul.

x Ex Cic. lib. de Oratore.

Digitized by Google

AN VNIVERSE ATTRACTIO ad occultas, vel cœleſtes cauſſas referri debeat.

EXERCITATIO I.

INter celeberrima illa, totoq́; terrarum orbe peruulgata Herculis facinora, illud ſemper omnium plauſu extitit admirandum, quo [a] dicitur inuictus heros ad inferos contendiſſe, & ſubactum Cerberum, cateniſque conſtrictum ad ſuperos deportaſſe: hac etenim pugna non modò qui ſolo vincere cõſueuerat latratu; ſed vnicus porrò inferorum cuſtos victus, vinctuſq́; eſt. Certaminis huius exordium, progreſſum, exitum ſine metu, non ſine oblectatione admirentur alij; ego verò non minus difficilem exordiar dimicationem, proſequar nõ ſine metu: ſiquidem attrahentium cauſſas mihi hodie inueſtigaturo eadem inſtat pugna, cumq́ue acerbiore fortaſſe Cerbero, par, an maior Herculeo me manet labor, quem neque minor victoria conſequetur. Et licet inter infernas tenebras, expirante ſub tenuis lucis aura, immanis belluæ in me crudeles auſus contuear; riget illa crinibus, colubris, cauda; ferit acie oculorum, dente petit, obruit latratu, hiatu faucium terret, ſonitu quatit, tenet, vrget, iam iam dilacerat immaniſsima belluarum; licèt penè tot malis obruar, cedere tamen ſatis pudet; quin etiam me

ipſo

[a] Ex Diodoro Siculo de geſtis antiquor. lib. 5.

Herculis facinus.

Cerberi deſcriptio.

Digitized by Google

ipſo audacior, ad exagerandas vires, vtar eodem argumento, quo olim Troianum ducem vſum legimus apud [b] Virgilium.

[b] Virgil. 6. Aeneid.

Si potuit manes arcerſere coniugis Orpheus
Treÿcia fretus cithara, fidibuſque canoris;
Si fratrem Pollux alterna morte redemit,
Itq; , reditq; viam toties; quid Theſea magnum,
Quid memorem Alciden?

An mihi non licebit cum pari Cerbero congredi, & ex eo victoriã reportare? Non aliena loquor Academici, etſi in alienis verſari fortaſſe videar. Pro quare exploremus, ſi placet, hoſtes, attendamus paululum digreſsi, impetum.

Rerum vniuerſitatis ab antiquis ficta diuiſio.

[c] Antiquiſsimum illud Saturni patris (quod Poëtæ finxerunt) regnum eoque innoxiè imperante feliciſsimum, vt cęlum, maria, ipſoſque inferos concludebat; ita tribus deinde limitibus partitum tres eius filij occuparunt: cęleſtis namq; regio Ioui, Neptuno maritima, inferna Plutoni obtigerunt; proprijsq; ſedibus tanta quilibet auctoritate deinde regnauit, vt in eis omnium rerum potentiſsimus, aliena imperia non turbarit. Eadem ratione cenſeo equidem, primæuum rerum patrem intellectum, cuius eſt, vt inquit [d] Ariſtoteles, omnia facere, amplam rerum omnium cognitionẽ obtinuiſſe, & feliciſsimè quondam, perſeuerante innocentia, moderaſſe; vt hoc etiam nomine crediderim, omnium ſapientum conſenſu, quemadmodum refert [e] Plato, intellectum cęli, terręque regem appellatum. Hoc deinde longè, latèque patens regnum ſibi ſucceſſores partiti, alij cęleſtem videntur ſortiti regionem, dum in omnibus cauſsis aſsignãdis cęlo vtuntur, cęleſtia tantũm exagitant,

[c] Ex Hom. in Iliad. lib. 15. ex Plat i Gorgia. & Cic. 2. de nat. Deor.

[d] Ariſt. 3. de anima tex. 38.

[e] Plato in Philebo.

Intellectus cœli, terræque rex appellatus.

Eorum, qui rerũ cauſſas ſcrutantur in tres ordines diſtributio.

gitant, ac veluti vnum cęlum pro ſede,regnoq́; obtineant,cęlo omnia tribuunt, cęlum vndiq; iactant, & Deus faxit,ne dum offerunt cęlum celent omnia. Altera,quæ maris erat, portio alijs poſteris conceſſa eſt,atq; iſti eſſe mihi videntur ij, qui in ſcientiarum genere ſubiectas tãtùm ſenſibus qualitates pro cauſſis agnoſcunt:has enim qualitates aquarum,mariſq́; noĩe deſignari ſatis ad rẽ ſuam feliciter acutiſsimus *Picus annotauit: nam, prçterquàm quòd perenni illo aquarum fluxu, atq; refluxu, harum qualitatum cõtinua viciſsitudo denotatur;vt etiam tellus aquis irrigata; velut ſemine repleta,cõcipit,varioſq́; hinc, indè foetus procreat;ita & materia his affecta qualitatibus omnia parit. quare & Neptunus apud [f] Platonicos generationis antiſtes effingitur. At quando mare his conceſſum, illis cęlum diximus, reliquum iam planè erat,vt inferi alijs aſcriberentur; atque ita profectò ſunt qui inferorum viribus ſe muniunt ad omnem quæſtionem,quæ,vel acerrima,pulſet ingenia;vt nihil ad huiuſmodi lites componendas ſoleant,præter infernas tenebras,offundere.tertiæ huius portionis hæredes mihi videntur qui in qualibet difficultate enodanda, occultas, craſsiſq́; inferorum tenebris circumfuſas, cauſſas afferunt, omnibuſq́ue abditarum proprietatum caliginem offundunt, quo imperio rerum ardua ſe explanare opinati,nihil prçter occultarum cauſſarum, quas neque ipſi noſcere poſſunt,nomen ſapiunt;quin,quemadmodum de inferorum receſsibus teſtatur [g] Virgilius,

.... non ante datur telluris operta ſubire,
Auricomos quàm quis decerpſerit arbore fœtus.

ita nullus ad occultarum cauſſarum imperiũ admittitur,

Quo ordine ponãtur qui cęleſtibus cauſſis vtuntur.

Quis ordo ſit eorũ,qui ad ſẽſibiles cauſſas cõfugiunt.

Qualitates noĩe aquarũ deſignãtur.

*Picus Mirandulanus ĩ eo lib. cui dicit Heptaplus.

[f] Ex Marſil. Ficino in Argumẽto Atlantici.

Neptunus generationis antiſtes apud Platonicos.

Ad quẽ ordinẽ reducãtur q. occultas cauſſas afferũt.

[g] Virgil. ibi.

titur,quin auratum ramum, hoc eſt duriſsimam primùm fidem,qua nihil poſſe credat manifeſtis cauſsis reuelari,obtineat; eaque fide fucoſis quibuſdam rationibus obſtricta, facilis, vt idem Poeta loquitur, deſcenſus Auerni.

[h] *Noctes, atque dies patet atri ianua Ditis.* [b] Virg. ibid.

Ab his ergo, ſi generales attrahentium cauſſas exigamus,non alias, pręter occultas,ignotàsque iactabunt, & quod ipſi nunquam ſe noſse fatentur, nobis demonſtrare contendunt. quare non mirum ſi cum his inferorum rectoribus, tantùmq; de cauſſarum occultarum imperio ſolicitis magnū, arduūq; certamen nobis hodie proponatur: horribili etenim vigilantia,ſummisque viribus,quem principio dicebamus, Cerberus pro huius regni cuſtodia inſtat, ipſumque ſui corporis præſidio tuetur; Cerberum inquam, grauiſsimam eam rationē, qua huius regni auctores ius ſuum tueri, amplamq; dominatus poſſeſsionem confirmare contendunt: multi enim [i] inquiunt,ſunt effectus, quorū cauſſę adeò ſunt obſcurę, & penitus occultę, vt percipi à nemine poſsint, nullaq; certa ratione comprehendi, confugiendum ergo concludunt, ad eas cauſſas, quę dum latente ſunt obſcuritate inuolutę naturę,dum neq; euidenter percipi,neque verbis dici poſſunt,occultę rerum proprietates appellantur. Hęc inquam,ratio,vnicū huius regni pręſidium, Cerberus eſt:ad eius quippè modum, triplici veluti ore ternos edens latratus tres ſimul animę facultates eneruat:externum enim ſenſum credit ad hęc obſcura percipienda ineptum,internum ad eorundem comprehenſionem infirmum, intellectum denique, ſummis veluti difficultatibus circum-

Qua ratione alij probēt confugiendū eſſe ad cauſſas occultas.

[i] Fernelius lib. 2. de abditis rerum cauſſis c. 2.

Quæ mala afferant ij qui occultas cauſſas inducunt.

circumſeptum,opprimit, quin tanta eſt huius monſtri ferocitas, tanta immanitas, vt vniuerſa hominibus nocentiſsima pariat: hoc enim ignorantię ſemen,negligentię parens,rationis labes, intelligentię hoſtis, ſcientiarum tyrannus, humanę induſtrię expugnator, ingeniorum catena, omnium facultatum pernicies.hoc pręclariſsima illa hominum commenta,mentis oculos perſtringendo, è ſcientiarum vniuerſitate relègat, perſcrutandi cupiditatem reſtinguit, metam rationi pręſcribit, obtinendę veritatis ſemitam pręcludit, omnemq; è ſcientijs ſuauitatem exhaurit. hoc vulgi propugnaculum, inanium excuſatio, ignauorum refugium, rudium portus, imperitorum aſylum. hoc ſenſuum pręſtigium, animę cęcitas,doctiinarum lues, veritatis peſtis, ſapiētium calamitas,omnium deniq; bonorum exitium.quàm aptè huic vni ea [k] Triſmegiſti verba congruerent, ,, dum hoc inquit,ad ſe ipſum te deorſum raptat,ne ,, fortè conſpiciens veritatis decorem,atque proxi- ,, mum bonum,ſuam oderis prauitatem;nèue huius ,, inſidias, quas in te aſsiduè machinatur aliquando ,, pręſentias,interiorem ſenſuum aciem hebetat,at- ,, que obtundit,craſſa illam materia ſuffocat, abho- ,, minabili,faſtidioſaque ebriat voluptate,ne audias ,, vnquam, nèue perſpicias ea,quæ iure,& audienda ,, ſunt,& in primis perſpicienda. Et poterimus nos hoc monſtrum non deteſtari, non vehementer horrere? vtinam noſcerent ſemel homines, ſuæ libertatis vindices, quantæ ſub ignorantiæ caligine ſopita ratio langueat,quomodo earum tenebrarum obſcuritas mentis afferat cęcitatem. Sed quid? hoccine poterit horrore, vel hiſce verbis immanis ea bellua

k Mercurius Triſmegiſtus in Pimādro c. 7.

opprimi,

Digitized by Google

opprimi, tanta pernicies auert i? equidem vereor, ne largiùs, nobis timore perculſis, debacchetur, ſæuiat immaniùs; iàmque conſpicitis doctiſsimum [l] Scaligerum, adeò ſalutare putantem huius occultę proprietatis aſylum, vt omnia ad manifeſtas deducere qualitates, non modò inanes conatus, ac temerè inſtitutos; ſed ſummam quoq; impudentiam eſſe fateatur; vt minùs mirari debeamus alios, qui propriã inſcitiam fateri verentes, ardua quęq; occultis proprietatibus conſtare cauſſati, luto, vt aiunt, lutum purgare videntur. ita, quò nulla peſtis hac capitalior hominum mentes occupauit, eò nulla pertinacior, nulla fortiùs auctoritate inualeſcit, nulla magis inuicta perſeuerat. Nonne obſeruaſtis Academici, quot, quantoſuè duces huius belluæ latratu apud [m] Fernelium fundat, confundat Eudoxus? ſed obſeruate nunc quàm fortaſſe turpiter Veronenſis [n] Fracaſtorius, in diſciplinæ militia veteranus cum hac eadem bellua, ipſiſq; occultarum cauſſarum auctoribus inani pugna contendat: ſi quidem collatis ſignis depugnans, cum decem inquit, rerum omnium genera ſint, duo tantùm ex his agendi ſibi vendiçant poteſtatem, ſubſtantia ſcilicet, ac qualitas, quę, vel materialis dicitur, vt prima atque ſecunda; vel, vt loquuntur, ſpiritualis. quicquid ergo actionis experimur, ab iſtorum aliquo emanare certiſſimum eſſe debet: ita enim multos ciet motus ſubſtantia, multa illæ qualitates munera expediunt. at quando quæ ab occultis proprietatibus manare dicuntur, per aliquam actionem, agendiq; vim eſſe nemo inficiabitur, conſequens eſt, vt ea vis in prędictis qualitatibus, vel in ſubſtantia reſidere dicatur; eàq; ratione,

Scaliger occultarũ cauſſarũ commendator.

Fracaſtori' infirmo argumẽto occultas cauſſas impugnauit.

[l] Iul. Cęſ. Scalig. ad Cardanum exerc. 218. num. 8.

[m] Fernel. de abditis rerũ cauſſis lib. 1. & 2.

[n] Fracaſt. de contag. lib. 1. cap. 6.

Digitized by Google

tione, vel nomen tantùm occultæ proprietatis erit diuerſum: cum re vera id, quod actiones molitur ſubſtantia ſit, vel aliqua è primis, ſiuè ſecundis appellatis qualitatibus; vel eadem proprietas erit ad illuſionem effecta. His, vel omninò conſimilibus armis in eos hoſtes irruit Fracaſtorius; quàm verò inaniter ipſimet hoſtes excitati potiùs, quàm excuſſi poterunt aperire; & non immeritò; ſi quidem ipſorum clypeus id genus ictibus infractus nequicquam cedit: quippè præter qualitates, quas primas, quàſue ſecundas philoſophi vocitant, alias iſti eſſe fatentur, quas nec eas primas, nec ſecundas, nec aliqua ratione nobiles eſſe volunt. Ad quid ergo inani qualitatum primarum, vel ſecundarum, materialium, vel ſpiritualium ictu hoſtem excitare potiùs, quàm excutere? Sic noſtrę quandoque victoriæ ſimiles Alaudis videntur, quę euolant cũ manu teneri putantur.

Oſtenditur inanitas rationis Fracaſtorij.

Quę igitur arma, quique ictus tantum hoſtem poterunt opprimere, debellare? hoc vnum videtur non verbis obrui, non auctoritate terreri, non ſenſu deuinci, non acquieſcere in argumentis, non cedere rationibus, vt meritò horrere potiùs pericula, quàm victoriam ſperare hoc certamine debeamus; ſed nullius periculi terroribus ab incepto deſciſcam; & quãuis non ex eis ipſe ſim, quos ad meliora [o] dicunt rerum magnitudine excitari, omnẽ tamen, vt [p] aiunt, machinam adhibebo, nihil relinquam intentatum. & quando nõ modò verba, ſed inania etiam videntur inter inferos arma, vnde [q] Virgilius.

Quàm difficulter qui cauſſas occultas ſuſtinent, impugnari poſſint.

[o] Tac. Annal. lib. 3.
[p] Plato 7. de legibus
[q] Virg. ibid.

Et ni docta comes tenues ſine corpore vitas
Admoneat volitare caua ſub imagine formæ,
Irruat, & fruſtra ferro diuerberet vmbras.

idcirco

Digitized by Google

idcirco armis etiam abiectis induſtrię neruos contēdam, pariterq; ab eadem Sibilla monitus fatebor,

Nec vim tela ferunt, licet ingens ianitor antro
Aeternum latrans exangues terreat vmbras.

Quid verò induſtrię promptiùs poterit occurrere, quàm id, quo eadem Sibilla Cerberi eiuſdem latratum cohibuit, contendentem repreſſit, ac de pręſidio planè deiecit?

Cui vates horrere videns iam colla colubris,
Melle ſoporatam, & medicatis frugibus offam
Obijcit. ille fame rabida, tria guttura pandens
Corripit obiectam, atque immania terga reſoluit
Fuſus humi, totòque ingens extenditur antro.

Qua arte poſsit eorū, qui cauſſas occultas aſtruunt, ſententię occurri.

Non diſpari ratione & nos cõſimilem offam hiantibus faucibus inijcientes, irruentis fortaſſe impetus reprimemus. at quę mellita magis, atque iucundior parari poterit offa, quàm ea, cui vel ipſe videtur aduerſarius inhiare? Concedamus ſcilicet, vbi manifeſtę cauſſę non ſuppetunt, ad occultas properandū, vt eius argumenti latratu hoſtis contendebat. Sed huius cõceſſionis dulcedini venenatum illud admiſceatur, melius quidem nobis fore, inter manifeſtas cauſſas iucundiſſima luce frui, quàm inter perpetuas tenebras, craſſa offuſos ignorãtię caligine ſordeſcere. nullus ad patentium cauſſarum inuentionem lapis non mouendus; omnibus illę veſtigijs inquirēdę: nihil enim tam arduum, abditùmque eſt, quod mens humana tandem non aſſequatur, prudenti conſilio non reſeretur. vbi verò rationem, & induſtriā ſuperat difficultas, quorum data, vt inquit [r] Homerus, copia lętum his paſce animum; &, vt ad conſimile propoſitū inquit [ſ] Plato, circa hęc naturę opera alterutrū

Quid in rerum naturaliū inue-

[r] Hom. Odyſſ. lib. 14.

[ſ] Plato in Phædone

oportet efficere, aut diſcere, vel inuenire quemadmodum ſe habeant, aut, ſi hęc fieri nequeant, optimam, atq; tutiſſimam humanarum rationum eligere, qua quis, tanquã rate, vehatur, atq; ita procellas huius vitæ pertranſeat, ſi nequeat firmiore quodam vehiculo, vel diuino aliquo verbo tutiùs, ac minore cum periculo tranare. Equidem illud ſemper cenſui durissimum, quò alij, propriam veluti auctoritatem fouentes, dum quorundam effectuũ manifeſtas cauſſas attingere nequeunt, ab alijs eaſdem attingi poſſe deſperant, atq; è veſtigio eas inter occultas iactãt, quaſi quod ipſos fugit, oẽs pariter prætereat. quid? ergo exhauſta iam omniũ rerum inuentio eſt? an occluſa inueniendi libertas, nullúſq, humanę induſtrię aditus ſuppetit? Sed in horũ fortaſſe pœnam, multa, omnium æquiſſimus penſator Deus, his ſapientibus occulta, paruulis, & inſipiẽtibus reuelauit. quot perueſtigauit Ariſtoteles, quæ aliter cenſuit Plato? quot Ariſtotelis lapſus detegit Galenus? quot à Galeno commenta illuſtrauit poſteritas? ita nunquam licet humanæ induſtriæ modum ponere, nec ea, quę veritatis cupidine raptantur, ingenia coercenda: ſępè enim quę alijs impedita difficultatibus videntur, facillimè aliorum cõſilio expediuntur. multa inquit [t] Tacitus, experiendo fiunt, quæ ſegnibus ardua videntur. optimè [u] Syneſius rerum hãc vniuerſitatẽ libro, varijs literis ſignato, comparauit, in quo literę quidem ſunt partim Phœniciæ, partim Ægyptiæ, partim Aſſiriæ, quarum, qui naturas, & rerũ arcana ſcrutatur, quò ſcientior, eò plures, clariúſq; perleget, alij verò nullas poterũt aliqua ratione interpretari. nec ſanè qui literarum Aegyptiarum notas non callet,

eas

Marginal notes: ...ſtigatione faciendum ſit. — Durũ eſt q̃ ipſi aſſequi non poſſumus, in alijs pariter deſperare. — Multa prioribus ignota poſteriores explicarunt. — Rerum vniuerſitas libro comparata.

[t] Tac. Annal. lib. 15.
[u] Syneſius lib. de ſõnijs cap. 2.

eas debet omnibus iudicare occultas, & ignobiles; quin etiã illas, vel ipſe poterit perſcrutari. Sic, & nos attractionum cauſſas exagitantes, in eis etiam, quę alijs videntur abditę, inquirendis pro noſtro pectore laborabimus, occultiſque appellatis proprietatibus abiectis, ſẽper in eis, quæ minùs à veritate alienę inter manifeſtas videntur, hærebimus. & queadmodum nobis veritatem attingentibus, nec aduerſarij poterunt inanem operam, tantum finem ſortitam, iudicare; ita, ſi conatus fuerint inanes, noſtra, non ipſorum, opera, noſtrum dumtaxat oleum perdetur, ac ne noſtros etiam labores deplorent alij, nobis fuerit ex eadem opera aliquid exercitationis, qua nihil vtilius, comparaſſe; vt hac præſertim ratione exercitationum nomen his laboribus præſcripſerim, atq; ita me ipſe, iuxta illud * Heracliti, quęſiuerim. Sed iam videtis hac offa, Cerberi impetus ita repreſſos; vt iure nobis videamur glorioſam victoriam conſequuturi.

*Ex Suida ſub Col. 1196 i verbo Poſthumus.

In quæ mala incurrant ij, qui cœleſtes cauſſas ſẽper inducere cõtendunt.

Eſſet pariter cum illis pugna nobis ſuſcipienda, qui in cęleſtis portionis imperio conſtituti, cęlo ad omnes difficultates explanãdąs vtuntur; eòq; acrius cum iſtis exigeretur certamen, quò ipſi potentibus, vt * ille inquit, infidi, ſperantibus fallaces, cęlo ad hominum ludibrium videntur abuti; quin ampliore licentia, ſideribus leges ponunt, ſtatuunt ordines, pręſcribunt vires, cogunt futura, violant imperia libertatis, facinorum excuſationem inſinuãt, nec minùs religione, quàm natura euerſa. omnia ſtultis ſuo arbitratu perſuadent; * vt meritò tributum ſtultorum diceretur id, quod Alexandriæ pendebant Aſtrologi. Cum his inquam, acrior nobis eſſet pu-

* Tac. lib. 1. hſtor.

* Suida ſub Col. 282. ſub verbo Βλακέννο-μιον.

gna ſuſcipienda. Sed gigantum memoria ſuppetit. cęli fulmina ſunt timenda. aduerſus Solem monet [y] Pythagoras ne loquamur.

[y] Pythagoras in Symbolis.

Quænam generalis cauſſa eorum, quæ attrahuntur.

EXERCITATIO II.

GEnita hæc, atque cunctorum genitrix Natura, cuius nomine omnia [a] Epicurus appellabat, tã variè ſe ſe nobis oſtentat; tanta fęcunditate propagat; adeò prudenter diſpoſita, prouidenter vniuerſa diſponit, vt iure, ad eam explicandã, celebrandàmq; vario proportionum genere, & ſimilitudinum apparatu vſi fuerint antiqui, &, vt quandam eius expreſſam imaginem intueremur, varias rerum imagines excitarunt: omnium enim primus [b] Mercurius, qui Triſmegiſtus dicitur, diligentiſſimo cum agricola eam contulit, qui rerum omnium ſemina ex vberrimo Dei horreo ſuſcipiens, vndique ſpargit, idque quod nimis adultum eſt, ferro corruptionis amputat, vt ad alia reuiuiſcat. [c] Plato deinde eandem lumini comparauit, columnę, & Iridis ſpeciem referenti: vt enim omnia lumen implet, omnia fouet; ita, & per omnia natura diffunditur; omnia ſeruat; ſtabilis, vt columna; ſuſpicienda, vt Iris; quin ad Iridis etiam modum, iuxtà diuerſos intuentium aſpectus, varios variarum opinionum colores emittit. Ipſa eadem

[a] Ex Cic. 1. de natura Deor.

[b] Mercur. Triſmeg. in Pimandro cap. 9.

[c] Plato 10. de republ. vbi conſule Ticiuum.

Agricolæ natura cõparatã à Triſmegiſto.

Eadẽ lumini columnã, & iridẽ referẽti à Platone aſſimilatur.

ſcito

Zeno eãdē artifici cō parauit.

ſcito cum artifice à [d] Zenone æquatur: illius enim inſtar apta eligit miniſteria, diſponit munera, molitur opus, adhibet ſolertiam, inuigilat artificio, expedit conſilia, omnia exequitur, omnia aſſequitur. Prudenti patrifamilias ſimilis videtur [e] Ariſtoteli: iuxtà eius enim munera, fęcunda primùm eligit coniugia, operātium qualitatum boues exercet, ſummo ſtudio ſemet ipſam, omniàq; conſeruat, & ad perpetuitatem continua procreatione trahit. [f] Plotinus denique eandem rationi, ciuitatem exornanti, legèſq; condenti ſimilem dixit: ſiuè enim legum conditores, pręter cęteros, Deo familiariſſimi cenſeantur; quare Numam Egerię Deę, qua familiariter vtebatur, monitu iura dicentem crediderunt [g] Romani; ſiuè eoſdem philoſophos, ac ſapiētes cum [h] Platone deſideres, quiſnam ad Deum propiùs accedit ipſa natura, quę Dei imago dicitur? quiſnam eadem ſapientior, [i] quę ſummam Dei ſapientiam ęmulatur? vel ſi munus eorundem conditorum eſt, vt aſſerit idem [k] Plato, homines ad ſummi boni cognitionem efferre; quiſnam id muneris explet natura perfectiùs, quę varia rerum ſerie, tanquam ſcalis, ad ſummum, verùmq; bonum, nullo ruinę periculo, parauit aſcenſum? Tot tantęq; inter pręcipuas ſunt, naturam exprimentes imagines, quibus non eius modò efficacitatis; ſed prudentię ſimul, ac prouidentię adumbratur ſimulachrum; inter omnes autem nulla mihi videtur magis ad rem, naturę vim congruenter effingere, & viuis veluti depictam coloribus, declarare, præter eam, quam longiùs, latiùſque idem [l] Plotinus diffundit, cum naturam veluti Magam appellat; & iure quidem optimo: dum enim variam

Prudēti patrifamilias eadē ſimilis ab Ariſtotele creditur.

Ad legislatoris modū ſe habere naturam dixit Plotinus, & quare.

Legislatoris cōditiones.

Maximè propriè Magam referre videtur natura.

[d] Ex Cic. 2. de natura Deor.

[e] Ariſt. 2. de gener. anim. cap. 4.

[f] Plotinus Enneade 4. lib. 4. c. 39.

[g] Tit. Liu. ab vrbe cōdita lib. 1. & Plutarc. in vita Camilli.

[h] Plato 5. de republ. & in epiſt. ad amicos Dion.

[i] Plotinus Enneade 4. lib. 4 cap. 13.

[k] Plato 7. de republ.

[l] Plotin. Enneade 4. lib. 4. per totū, & præſertim cap. 44. & Marſ. Ficin. in apologiā Platonis.

ſimul,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

ſimul,atque conſtantem cęli conuerſionem, curſus aſtrorum diſpares, luminum defectus varios, corporum transformationes, repentinos imbrium, atque ventorum impetus,tempeſtatum portenta,euentuũ prodigia,rerum omnium viciſſitudines intuemur,niſi naturam ineſſe crederemus, Magam operari affirmaremus. Ecquodnam clarius magicæ molitionis indicium,quàm quòd ita eadem mentis aciem, ſenſuſq; perſtringat,vt ea,quæ manifeſta ſunt,neque inſpicere valeamus; quin,vt intuentes neq; intueamur?Probauimus iam (& veritatis excitata libidine, quàm faciliimè ſe ſe in animum inſinuauit probata credulitas) attrahendi cauſſas,non ad ſubterraneas, occultàſque vires,neq; ad cęleſtes, & à noſtro ſenſu ſeiunctas referendas,ſed in eis planè poſitas,atq; vigere,quæ non modo certiſſimæ rationis lumine innoteſcunt; ſed ſenſuum quoq; viribus capiuntur; quænam verò ſint hæc attrahendi principia, intelligentiæ adeò certa,ſenſibus manifeſta, nullus videt, nullus agnoſcit.

Quæ veluti Magam eſſe naturā probant.

At humanum ingenium, nulla quod rerum difficultate terretur, nullo repulſu auertitur, nullas hæret ad metas; ſed in vetita fortiùs nititur, exultat in arduis, nihil non tentat, magìsq; difficilium exercitatione acuitur; non hęc, ſenſibus quamuis denegata, pręterijt,nec,quamuis difficilia,ſolùm attentata deſeruit; quin etiam,quaſi in ſenſuum caligine clariùs intueatur.nullis rem ambagibus detinens,apertè calorē,cui ſumma videtur in attrahentiũ vniuerſitate cōceſſa poteſtas,ita vniuersè credidit attrahentē,vt omninò poſſit oēs attrahendi modos implerè. & ſanè non pauci grauiſſima auctoritate celebres viri

Ingenij humani vis.

Eorum opinio, qui calorē voluerunt eſſe generalē cauſſam attrahendi.

m viri ſunt, qui non modò id ſibi perſuaſerunt; ſed Ariſtoteli quoq; perſuaſum voluerunt. quare generaliter omnis, inquit n Auerroes, attractio, quocũq; modo fiat, non fiet niſi à calore; huic verò dum ſubſcribit o Apponenſis, & illud Ariſtotelem ſenſiſſe refert, & ea ratione comprobare contendit: omnia enim, quę in multis per vnicam naturę conuenientiam, atq; coniunctionem numerantur, ad aliquod reducuntur, quod in eo genere primum ſit, atque principiũ; ſicut quęcunq; ſibi in calore conſentiunt, ad vnum ignem, vt omnium calidorum primum, auctore p Ariſtotele, reducũtur. at ea, quę attrahentium communione iunguntur, non niſi ad calorem, tanquam ad commune principium, poterunt reuocari. in calore igitur omnis attrahendi facultas reſidebit, atq; indè omnium harum facultatum fons, & origo ad reliqua emanabit; quam profectò cauſſam, ordinis pręſertim cauſſa, non tenuem, nec inopem cenſere debemus: ſinè hoc enim nec ipſa natura, q cuius ordo eſt omnium ordinum firmamentũ, conſtare poterit; quis verò ordo vbi non princeps, non principium? vel quodnam principium calore aptius, poterit hoc in genere excogitari; vt rerum infinitas, atque confuſio è naturalibus ablegentur? Adde omnia, quę trahunt ita calida eſſe, vt opinari meritò poſſimus caloris nomine omnia attrahere. en calida ſunt, quibus humores trahuntur, medicamenta; calida, & viuentia membra; calore trahit paleas ſuccinum, vapores ſol, humores dolor, & magnes etiam, qui adeò videtur à calore, ſub lapidea ſpecie, alienus. ſolius caloris opera ferrum allicit.

Verùm enimuerò, quamuis, & calor attrahẽtibus aliquan-

Quę pro relata opinione afferãtur argumenta.

m Hãc opinionem Alexandro adſcribit Fracaſtorius de ſympat. & antipat. c. 5.

n Auer. 5. colliget cap. 18.

o Apponẽſis in Conciliatore diff. 51.

p Ariſt. 2. metaph. tex. 3.

q Ariſt. 8. phyſ tex. 15.

Digitized by Google

aliquando certa quadam ratione famuletur, multùmque operę ſuppeditet; quamuis, potentiſſimus naturę miniſter, lumine cuncta illuſtret, motu exagitet, qualitate fęcundet, temperatione mulceat, exuperãtia deuoret, nihil ſuis viribus non attingat, omnèſq; varia actione mundi partes ſuſtineat; non tamen tantum momẽti eius auctoritas habet, nec tantum efficacitatis miniſteriũ; vt, quę attrahuntur, omnia poſsit attrahere, omnibùſq; attrahentibus vim, poteſtatèmq; conferre. quid caloris ſpongiarũ latitat in cuniculis, quibus plurima humidorum rapiuntur? quid eſt, cur dolores, cur vulnera non ſemper caleant, ſi ſanguinem ſemper alliciunt? vel quomodo omnia, quę inanitatis, vt ferunt, diſcrimine attrahuntur, à calore poterunt concitari, ſi omni ferè calore deſtituta, & frigidiſſima plerùmq; ſentiuntur? flumina pariter, nulla caloris opera, ad ſumma montium efferuntur. animatę particulę, quamuis calore viuant, alimenta tamen, quibus vita tenetur, non calore; ſed fibrarum plerumque, vt dicemus, miniſterio trahunt; & plura deniq; alia ſunt, quæ nullo vſa calore, attrahẽdi munus abſoluũt, & ſanè valde inops, & exhauſtum naturæ foret ęrarium, ſi vnius caloris pecuniam vbiq; proferret; ſat tenuis, atque vilis attrahentium eſſet vniuerſitas, ſi vnius caloris anguſtijs coerceretur. quid? quod neque propriè, &, vt loquuntur, per ſe poteſt calor attrahere, vt aptiore loco nos pariter oſtendemus?

Caloris vires.

Calor nõ poteſt eſſe generalis cauſſa attrahẽdi.

Multa ſinè calore attrahuntur.

Nec proinde his difficultatibus victum humanum ingenium deſtitit ab incepto, quin maiore obice audacius, alia attentauit; Eòq; duce, generalem attrahentium cauſſam in ſimilitudine alij collocarunt, & quem-

Opinio illorũ, qui ſimilitudinẽ dixerunt eſſe generalem cauſſam attrahendi.

quemadmodum inquit [r] Plato, ſcitè veteri prouerbio ferri, ſimile ſimili ſemper hærere, ita dixerunt & iſti, ſimile à ſimili ſemper attrahi, vel, vt alij, referētes [ſ] Ariſtotele, loquuntur, ſimile ſemper ad ſimile. Neque verò ad tantam vim, tantùmque facinus vim, efficacitatèmque ſimilitudo deſiderat; quin ipſa, vt inquit [t] Proclus, ſufficiens cauſſa eſt ad res ſingulas mutuò vinciendas: hæc enim ſimilitudo eſt, quæ ſummo quodam impetu, vel imperio concitat ſpiritus, titillat ſanguinem, allicit amicitias, inſinuat amores, firmat conſuetudines, ſenſus fallit, & ipſos etiam rapit animos. hæc ſimilitudo eſt, [u] cuius vis ad alienos etiam pertinens, in nepotes, quadam mentis reputatione transfunditur, [x] regnum potuit ſenſuum fallacia confirmare, homines, quibuſdam veluti præſtigijs, deludit, omnia difficultatibus obruit. hæc ſimilitudo denique eſt, quæ toto ferè hoc naturæ theatro diffuſa, ad proprias ſedes attrahit elementa, locorum etiam interuallo diſſita conciliat, ſenſum inanimis indit, omnia cogit, & Delum poſſet, quamuis fuerit immota, mouere. vel, ſi velimus magis ad rem, ſimilitudinis in omnibus attrahendis vires ob oculos ponere; ſimilitudo eſt, quæ allicit ad medicamenta humores, ad membra alimentum, ad magnetem ferrum, argentum viuum ad aurum, papilionem ad lumen, & nihil denique attrahitur, ni quadam ſimilitudinis ſpecie moueatur.

Similitudinis efficacitas, atq; vis.

[r] Plato ī cōuiu. in coll. Agatonis.

[ſ] Ariſt. 8. Ethic. cap. 1.

[t] Proclus de ſacrificio, & Magia.

[u] Ariſt. 7. de hiſtor. anim. cap. 6.

[x] Plin. lib. 7. cap. 12. & Solin. in polyhiſt. cap. 5.

Quamuis verò ex dictis tam latè quidem pateat, ad quædam attrahenda etiam vehemens, ſimilitudinis vis, atque poteſtas; maiorem tamen quandam vim habet attractio, nec ſolius ſimilitudinis fa-

Similitudo nequit eſſe vniuerſalis cauſſa attrahendi.

D ſcibus

Digitized by Google

ſcibus ſubmittendam : plurima enim ſunt, quę nulla naturæ cognatio iungit, nulla attingit affinitas, & non leui quodam imperio attrahuntur. Ecquid quæſo ſimile habet ſolis calor, aut terræ, aut aquæ, dum illius, veluti faucibus patefactis, expirationes trahit; hanc verò fuſam, extenuatàmque ſublime fert? quid commune ſpongijs eſt, nimia ſiccitate areſcentibus, cum aqua, præ omnibus humida? quę inter bilem, & bilem attrahentem veſiculam analogię ſpecies, vel collatio? quæ inter dolentem partem, eòſque, qui doloris nomine attrahuntur humores? & ſexcenta licet huius generis proferre, vt inter diſſimilia etiam attrahendi modus naturalis appareat. Pleraq; diſſimilia ſunt, quæ ſe ſe attrahunt.

Sed, cum nec calor, nec ſimilitudo poſſit vniuerſam attrahentium rem impellere, & ad vnum neceſſariò debeamus hanc referre principium; cuinam ergo tantam natura prouinciam delegauit? equidem niſi magica illa naturæ caligo, qua mẽtis acies pręſtringitur, diſcutiatur, aueo ſanè; ſed non audeo tanta de re aliquid iudicare. vtinam Mercurij herbulam illam haberemus, qua Vlyſſes magicas Circes molitiones [y] dicitur euaſiſſe. Sed, vel leuiter diſcutietur fortaſſe caligo, ſi facilis afferatur, & expedita diſtinctio: ſiquidem tacere procul dubio debet [z] ille, qui nulla diſtinctionis adhibita formula, tantam, tàmq; variam attrahentium molem ab vno calore voluit cõmoueri; quin etiam fateatur oportet, adeo eſſe longè, latèque diffuſam attrahentium vim, atque varietatem, vt neceſſariò ad plura debeat principia pertinere. illud verò [aa] Ariſtotelis præceptum, quo quicquid eſt vnica ratione in pluribus diſperſum,

Nõ poſſunt ſinè diſtinctione, & ad vnũ omnia, quę attrahũtur reduci.

Quæ ſemper debeant ad vnũ reduci.

y Hom. Odiſ. K lib. 10.

z Apponẽſis Cõciliatore diff. 51.

aa Ariſt. 2. Metaph. tex. 3.

diſperſum, in vno eorum omnium principio colligi debet; in eis tantùm traditum eſt, quę non ſolius nominis,ſed etiam naturæ cognatione cohęrent,& vniuoca à logicis appellantur,quemadmodum ſunt omnia calida per calorem. at verò quis ea, quę natura etiam diſtant,& quàmlongiſſimè ſeiuncta ſunt, vnico poterit principio comprehendere?&, vt inquit [bb] Plato,quę varia ſunt,vnico nequeunt ordine contineri. quis rerum prima principia ad ipſorum primum aliquod reuocabit?quis omnes viuendi modos ad vnam principij rationem, vnàmq; animam crediderit redigendos?vel quis denique tam multiplices, tàmque varios rerum ortus ſub vno,& naturali tanti generis auctore continebit? hic profectò eſt admirabilis ordo naturę, illa rerum omniū ſeries,vt tanta in varietate nihil temerè confundatur,cuiuſuis naturę diuerſitas in multitudine etiam diſtinguatur,& quę natura ſecernit, nulla communione reddantur incerta; huius verò diſtinctionis luce nos procedentes,ita rem hanc definiamus.

Multa ſunt, quæ ad vnū reduci non poſſunt.

[bb] Plato in Ciuili.

[cc] Omnia,quę attrahere communi voce, amplàq; ſignificatione dicuntur, vel propriè verèque id muneris exequuntur,vel per comparationem quādam, atque proportionem ſolòque attrahendi nomine deſignata,omnium ſermone percrebeſcunt. at hęc, quę ſolo dumtaxat nomine attrahere dicuntur, cū non communi lege, nec peculiari ordine cōtineantur; ſed ordo ipſorum ſit, quaſi temerè diuagari; nulla propterea poterunt certa, atque communi ratione definiri; quando iſtorum alia per aſcenſum,ac leuitatem efferuntur;alia per fuſionem, atq; tenuitatem dilapſa,dicuntur attrahi;pleraque,

[cc] Lege Albertū 7.phyſic. cap. 4.

Quædā propriè attrahunt,quædā verò per cōparationem.

Quæ per ſimilitudinem attrahūt nō poſſunt omnia vno ordine cōprehendi.

dum propria loca repetunt, ab eis allici denominamus; non pauca corporum contractione ſuccedentia, inter eadem numerantur; & denique tam varia, tàmque multiplicia ea ſunt, quę proportione quadam videntur attrahere, vt nullo poſſint ordine comprehendi: De illis verò, quę propriè, verèque attrahunt, rurſus hęc altera eſto diſtinctio: vel enim per ſe attrahunt, vel aliorum nomine, &, vt loquuntur, ex accidente. porrò ea, quę poſteriore hoc modo attrahunt; neque poſſumus generali vnica ratione complecti; cum fieri non poſſe doceat [dd] Ariſtoteles, vt omnia, quę accidunt, vtpote infinita, numerentur, [ee] vel communi ſcientię ratione determinentur, cum determinata non ſint: eàque re [ff] laudat in hoc etiam Platonem, qui ea, quę accidētium numero colligūtur, ad Sophiſtarum artes, ac ſi nullo pacto eſſent, voluit reducenda. quę autem priore modo attrahendi munus abſoluunt, ea omnia animantia ſunt, communiq́ue animę principio ad hoc cientur motu interiori, & ſuo: ſicut enim ſoli animę vera ineſt. & propria vis appetēdi; ita eidem quoque vera vis attrahendi; vt certa cauſſa eorum, quę propriè, & per ſe attrahunt, ſola anima cenſeatur. neque hoc à ratione videbitur alienum, ſi quid propriè dicatur attrahere deſignemus; id verò non ineptè videtur [gg] Ariſtoteles explicaſſe, quo loci omnes attrahendi modos ad duos generaliter reuocauit: vel enim attrahens inquit, ad ſe attrahit, vel ad aliud; at poſteriore hoc modo verè, propriéq; attrahi nullus audebit aſſerere. propria ergo eorum attractio tantùm erit, quę ad ſe attrahent; hęc verò, vel ſe in attrahendo commouent, & tunc debēt

dd Ariſt. 4. Metaph. tex. 12.

ee Ariſt. 6. metaph. tex. 6.

ff Ariſt. 6. Metaph. tex. 4.

gg Ariſt. 7. Phyſ. tex. 10.

Quæ ex accidente attrahūt neq; poſſunt ab vna cauſſa depēdere.

Accidentia nō cōſtituūt rationem ſcientiæ.

Attrahunt propriè ſolū animata.

Quid ſit proprié attrahere.

Omnes attrahēdi modos ad duos tātùm reuocauit Ariſtoteles.

omninò

omninò animam obtinere: omnia ſiquidem,quę ſe ſe mouent animantia [hh] Ariſtoteles iudicauit; vel, dum aliud ad ſe attrahunt, ipſa quieſcunt; & tunc pariter viuentia ſint oportet: cum enim ad ſe,tanquam ad terminum, attrahant; conſequens eſt, vt hic operandi modus ad genus,quod à* philoſophis dicitur immanens, ac proinde vitale, ſolìsque viuentibus commune reducatur. Si præterea verum eſt, aliquam eſſe animæ partem attrahentem, hæc procul dubio, verè debet, proprièque attrahere. ea ergo,quę hanc animę communionem non habent, neque hanc poterunt attrahentem vim habere communem, vt quæ animantium ſunt ab eis, quæ inanimis tribuimus, diſtinguantur. quare ſemper his rationibus ad animæ vim propria referetur attractio. Nec quædam nunc repetas immaturè, quæ propriè videntur attrahere, tametſi nullius animæ viribus inſignita, vt de magnete, ac ſuccino iactant philoſophi, de medicamentis purgantibus medici, cœteriſque conſimilibus alij: hæc enim impropriè adhuc attrahere ſuis [ii] locis demonſtrabimus. Sed iam deficit me diſtinctio, & rurſus magica illa naturæ caligo obducitur, præſtringuntur ſenſus, tenebris mens offunditur, & ipſa prohibet ratio, ne vltra progrediatur oratio.

Propriè attrahere actio vitalis eſt.

Nihil poteſt propriè attrahere ſinè anima.

hh Ariſt. 8. phyſ. tex. 29.

*Ex Ariſt. 9. metaph. tex. 16.

ii Exerc. 14. 19. & 20.

Quæ

Digitized by Google

Quæ cauſſa attractionis inſtantė, vt inquiunt, inanitate.

EXERCITATIO III.

Celebrem illum Cleopatræ amatorem Antonium, ad rei ſummam, totiùſque orbis aſpirantem imperium, amatæ fugam, tãta deſerta ſpe, proſequutum non [a] pauci ſunt admirati; nec vulgaris quidem extitit admirationis occaſio: quippè, etſi * arduum, ſubiectumq; fortunæ regendi cũcta onus, tantùmq; procul ex imperio vitæ ſecuritas, vt non [b] nemo ſit, qui ad mortis neceſſitatem imperantes trahi voluerit; vetus tamen inquit [c] Tacitus, & iampridem inſita mortalibus eſt dominandi cupido. quicunq; verò potentiam inquit [d] Dion, affectant, cœtera omnia cupiditati ſuæ poſtponunt; vt meritò quanta fuerit Antonio regnandi occaſio, tanta eum alijs admirandi. verùm enimuerò qui fortaſſe non ſenſerit (quod vel apud eundem [e] Tacitum ambigitur) cunctis affectibus flagrantiorem eſſe dominandi cupidinem; ſed ardentiſſimis tactus amoris facibus, affectuum omnium hunc crediderit potentiſſimum; quin [f] Cicerone ſuadente, omnibus ex animi perturbationibus nullam profectò amore vehemẽtiorem probauerit; proſequentem, vel attractum excuſabit amantem: quis enim (vt * poeta loquitur) modus adſit amori? eòque iure nec tanto furore agita-

a Plutarc. in vita Marci Antonij.

* Tac. Annal. lib. 1.

b Saturninus ex Petro Crinito de honeſta diſcip. lib. 10. c. 8.

c Tac. hiſtor. lib. 2.

d Dion. Caſſius hiſtor. Rom. lib. 38.

e Tac. Annal. lib. 15.

f Cic. 4. Tuſcul. quæſt.

* Virgilius Egloga 2.

Antonium Cleopatræ fugam inſequutum iure videtur nõnulli admirati.

Quantũ difficultatis ſit in imperio.

Dominandi cupido cunctiſne affectibus flagrantior ſit, ambiguũ eſt apud Tacitum.

Amor omniũ affectuũ vehementiſſimus ex Tullio.

Digitized by Google

agitatum, iſthæc molientem admirabitur: ſenſus enim voluptatis dulcedine ſemel infecti, tantùm blanditijs appetitum deliniunt, atque corrumpunt, vt perdita illum illaqueatum libidine, inſtantibùſq; illecebris irretitum, ad inhumana quandoque flagitia compellant. At ſi inanimatum aliquod, omniſq; amoris, ac ſenſus expers apud ſe dum eſt, & ſede, non quam ſperat, ſed quam obtinet, vltrò deſerta, finitimi fugam inſequatur. hoc cenſeri omnibus debet ſupra humanæ cogitationis captum admirabile: quis enim ſpeculator, quis ſenſus nuntius repentinam illi conſortis fugam indicabit? vel quis potiùs informem corporis molem, planèque ſenſus expertem credere poterit ſentientem? mirabile profectò eſt, corpus nulla ex parte ſentiens, nullius vitę particeps, non viuentium modò, ſed ſentientium quoq; inſtar, familiaribus, quos alioqui affectat, laribus poſt habitis, noſtra vel amoris, vel conſortij lege commoueri. Si præterea inanimatum idem corpus eò, dum alterius fugam inſequitur, ſubito diſceſſu feratur, atque feſtinet, quò ſemper natura ſua refugere conſueuit, id quidem non admirabile ſolùm eſt; ſed penitùs etiam incredibile; niſi tamen ita ſe habere perpetua nos experiẽtia cõmoneret. Ecquis adeò eſt à naturæ artificijs alienus, vt grauiſſima, ac inanimata ſimul corpora, dum neſcio quid inanitatis, vt inquiunt, diſcrimen inſtat, profectione tam præcipiti, curſùque concitato, poſt finitima ſibi corpora attolli non viderit, vt ad ſublimia quęque eleuata non rarò proſiliant? aquam ſede, ſibi natura conceſſa, longòque vſu domeſtica, deſtituta eleuati aeris fugam inſequi, & quàm altiſſimè efferri quotidie

Voluptatis vis.

Grauiſſima, & inanima corpora ſurſũ quandoq; aſcendunt.

die intuemur, dum exhauſto per tubos aere, eam ex infimis terrę partibus haurimus, eadèmq; induſtria ad ſupremas quàm facillimè attollimus.

Si ſenſus haberet aqua, vt ſe cõuerteret ad aerem.

Si ſentiendi aliquam vim ad aquam, cœteràque cõſimilia pertinere crederemus, iam neminem hoc experimentum aduerteret, ſtatutæ admirationis caderet occaſio, difficultas eſorberetur, omnia planè conſtarent: nobis enim ipſis perſuaderemus, amati aeris fugam ſentientem aquam, conſortiſque priuatione ſolicitatam, conſimili priùs ore loquutam, illum inſectari. Ergo me, crudelis amor, ſinè cuſtode neglectã, ſinè coniuge viduã hìc vnam ſolis, ignìſq; ardoribus ſubiectam deſeris? nõne te mihi in cuſtodem datum, coniugèmque fateris, dum tenaci ſemper amplexu me totam obcingis, ac felici vndique vallo me circumſeptã ambis? ſed quid ambis? abis potiùs, quàm ambis; & dum tu abis hìc ego non inuita morabor? Sed vbinam morabor, ſi nec loci aliquid mihi supereſt, dum ambientis, atq; continentis aeris ſuperficies, quę mihi locus eſt, tam repentè profugit? ſequar ergo, coacta ſequar, & quocunque te vertas me conuertam.

Pleriq; animã reb⁹ omnibus falsò cõceſſerunt.

Sic loqui fugientique inſtare, ſi ſenſus illi ineſſet, aquam crederemus; nec fortaſſe [g] deſiderantur auctores, qui animam, atque ſenſum tum aquę, tum reliquę rerum vniuerſitati ineſſe voluerunt, nihil [h] Ariſtotelis ſenſum planè verentes, qui ex aere, aut aqua conſtare non poſſe animatum corpus, quia hoc ſolidum eſſe debet, affirmauit. è quorum, ſic opinantium, incommodis [i] illi, ne tantulùm quidẽ, eſſe poterunt alieni, qui peruagantes vndique ſpiritus, & ſeminalem ſuccum omninò lubricum, informes

Semini, ac ſpiritib⁹ animã tribuẽtes quibus incõmodis afficiantur.

[g] Eſt qui noſtris tẽporib. ſcripſit de ſenſu rerum omnium.
[h] Ariſt. 2. de aĩa tex. 111.
[i] Fracaſt. de ſymp. & antip. c. 16. Cardan. 2. lib. cõtrad. Med. tr. 6. cõtrad. 17. Iul. Cæſ. Scaliger ad Cardanũ exerc. 280. num. 2. Valleſ. 2. cõtrou. cap. 9. & alij.

formes vtrôſque,& figurę cuiuſuis expertes, animę tamen participes crediderunt. Nos cauti ſimus in retinendis proprijs, ne dum vni, noſtro veluti arbitratu, animam inſpiramus, reliquis omnibus, nec ſolidis, nec, vt [k] aiunt, organicis eandem concedere vrgeamur. At quando non ſenſu, non anima corpus aquę regitur, quo ſpiritu eleuabitur, vel ad aerẽ inſectandum poterit concitari?

k Ex Ariſt. 2 de anima cap. 1.

Peripatetici quid de grauiũ corporũ aſcenſu ſentiant.

Iam noſco equidem celebrem de hac re, non modò auctorum teſtimonio, ſed diuturnitate etiam tẽporis confirmatam opinionem in vobis recaleſcere. iam veſtras aures accipio Peripateticorum vocibus perſonare, qui, vt inanitatem omnem è naturę limitibus exterminant, ita, eius vbi periculum verentur, nihil non pulſant, nihil non agitant, illud omni corporum incurſione prohibentes; eaque re non tantùm leuia deferri, attolliq; grauia, ſed colligi etiam rara, denſa rareſcere, ſolida frangi, diſiuncta cohærere, aperta occludi, occluſa reſerari, torpere motiones, inimica, inducias veluti pacta, coire, omnia denique cogi aſſeuerant. Nec tanta rationum momentis aſſeueratio deſtituitur; quin etiam maximis ſtabilitur: quamuis enim difficile alioqui ſit, continuenturne huius mundi partes, an verò ſe ſe tantùm contingant dijudicare; quam fortaſſe difficultatem ſubterfugiens [l] Ariſtoteles, mundum non abſolutè, ſed quodammodo continuum appellauit; ſemper tamen neceſſe eſt, inferiora hęc corpora, vt ſubiungit Ariſtoteles, ſuperioribus orbibus ita ſubnecti, vt nihil auulſum ab illis per ſe ipſum conſtet, nulla inanitas interijciatur: ſecus enim cęleſtis ea vis, qua omnia gubernantur, inanitate intercecta

Quantũ inanitatis periculo tribuãt Peripatetici.

An mundi partes cõtinuæ ſint, an verò cõtiguę difficile eſt dijudicare.

l Ariſt. 1. meteor. ſũma 1. cap. 2.

Cur inanitatẽ fugere natura dicatur ex Peripateticis.

E interci-

Digitized by Google

interciperetur, nec poſſet ad inferiora pertinere: quantùm ergo ea vis inferioribus neceſſaria, tanta eiſdem neceſſitas pariter eſt inanitatem, qua vis illa intercipitur, auertendi; vt meritò acerrimum hunc hoſtem exhorreſcens natura illa omnia moliatur, nec ſolam aquam, ſed grauiſſima pariter montium ea ratione attollat, cęlum quoque ad eundem hoſtem propulſandum, vt [m] quidam rentur, demiſſura.

[m] Ex Apponenſe in Cõciliatore diff. 51.

Huic Peripateticorum ſententiæ quamuis aliàs ego ſubſcripſerim; vt in libero tamen conſeſſu, vbi ſentire quę velis, dicere quę ſentias licet, mea pateſcat opinio; illud equidem haud inficior, quin etiam mihi ipſi pariter videtur natura ſuis è finibus inanitatem ablegare, atque propellere; id tamen conſequente quadam ratione perficere; cum neque, vt inanitatem propriè, directèque auertat, illa omnia moliatur, neque illud, quod Peripatetici comminiſcuntur, periculũ ex inanitate immineat: quippe etſi inter aquam, aerèmque plurium cubitorum inane ſpatium interijceretur, adhùc tamen cęlum omnia continuata quadam ſerie contingeret, nec poſſet cęleſtis ea vis ad inferiora non pertinere: ita nàmque eadem corpora, etiam interiecta inanitate, lateribus cohærerent, vt inde illis commodè poſſet cœleſtis actio impartiri: quid enim quęſo prohiberet, communiſſimo cęli ambitu, perpetuòque volumine latera quoque corporum ita ſuperioribus viribus affici, vt eas proximis etiam communicent, paritèrque tranſmittant? Nec facultatem equidem auderem ſuas per latera vires diffundendi cęlo, quod, omnibus repagulis perfractis, omnia pene-

Periculum, quod ex inanitate imminere fingunt Peripatetici, nullum eſt.

Inanitate etiã interiecta, ſuperiorũ corporũ influxus ad inferiora pertineret.

trat,

trat,denegare; ea verò non denegata,quamuis nulla per inane ſpatium vis deferatur,commodè tamē per latera poterit ad ea,quæ ſub inanitate collocātur, deriuare . quare frigida ſatis mihi videtur ea , quam Peripatetici comminiſcuntur, inanitatis euitandæ neceſſitas . Cęli deinde lumen , quo vel ipſi aduerſarij ſentiunt hæc inferiora moderari, dū pleno latere demittitur,indè obliquè reflexum poterit ea,quę ſub inanitate ſunt,attingere,& ita ſurſum ad latera,obliqua ea reflexione, diffundi ; vt quamuis cęlorum vim inanitas retardet , vel ea ex parte intercipiat, non tamen omninò prohibeat . Quid ?

Dum ęuitandę inanitatis neceſſitatem fingūt Peripatetici, ad primā cauſsā cōfugiant neceſſe eſt.

quod ſi cauſſam,qua eleuetur ad inanitatem prohibendam aqua, velint aſſignare , ad primam rerum omnium cauſſam confugiant neceſſe eſt: quis enim commentitiam eam non crederet, futilémque ſententiam,qua eius finis ratione impulſa, natura ſua , nullòque alio concitata , grauia corpora aſcendere [u] perhibentur ? quaſi tunc ſibi natura congrueret, cum ſuę facultati contrarium effectum , alienis non impulſa viribus exequeretur ; vel quaſi dū natura ſua aliquid attollitur, non debeat,præter finē, qui extra eſt, leuitatem,qua ſe ſe efferat continere . quare,cum nil aliud pręterea occurrat, quo grauia ad inanitatem arcendam efferantur,ad vniuerſalem cauſſam iſti properare coguntur . dum hanc verò cauſſam excitant , ſuum repetant [o] Ariſtotelem , qui Anaxagoram deridet , quòd mente , tanquam machina , vtatur ad mundi generationem , eamq; in dubijs , ac neceſſariis tantùm cauſſis aſſignandis attrahat ; vel non ſecus, ac rebus in anguſtum deductis Deos inducunt Poetæ , ita mente, vt legunt

Deridet eos Ariſtoteles, qui primam cauſsā in difficilibus rebus adeunt.

[u] Valleſ. 7. controuerſ. cap. 3.

[o] Ariſt. 1. metaph. ſumma 1. cap. 2.

alij,

p Alex. Aphro diſ. ibidem tex. 30.

p alij, hic vtatur. eodèmque pacto poſſe hos Peripateticos hac in difficultate derideri quis nõ videt, dum Deum, vel intelligentiam, quaſi ad enigmatis explicationem inducunt? ſed phyſicum eſto, vel philoſopho conueniens, ad vniuerſalis naturę hoſtem propulſandum, vniuerſalem pariter cauſſam adhibere; cum duplex pro hac re potuiſſet naturę auctor excogitare pręſidium, alterum, vt aer nulla vi poſſet, inſtante inanitatis diſcrimine, eleuari; alterum verò, vt grauia ſe ſe vltrò attollerent, & aſcenderent; cur quæſo illud potius paratum credunt, atque ſelectum? non minus enim abſurdi continet aſcendere grauia, quàm aerem non attolli; clariſſimum, me Iudice, argumentum, non ad inanitatem propriè euitandam ea corpora eleuari. Hæc itaque à Peripateticorum ſenſu meum ſenſum auerterunt, quæ ſi fortaſſe plura, quàm deceat Academicum, videantur, me q Hippocrates excuſabit, qui ad opiniones fortiter inhærentes euellendas multa argumenta voluit afferenda.

Duobus modis poſſet natura inanitatẽ auertere, nec ratio eſt, cur alterum tantùm eligerit.

q Hippocr. lib. 4. de morbis.

Ad firmas opiniones euellendas multa cõſulit Hippocrates afferẽda.

Neque verò dum Peripateticis aduerſamur, eorum aduerſarijs aſſentimur, r qui quamuis nõ ideò velint grauia ſurſum corpora attrahi; quia vniuerſalis quædam natura (vt Peripateticis placet) inane exhorreſcens, ne vſquam fiat, prouideat, contigua corpora eò immittens; dum tamen deinde ſuum ſenſum exponunt, nihil ab eorundem modo afferunt alienum: quia inquiunt, omnia mutuo contactu gaudent, & à ſe ipſis ſeparari, ſeiungìque non ſuſtinent; idcirco ſingula, ne à contiguis ſeorſum fiant, ſi quid illorum recedat, ſumma id ſectantur velocitate. qui quidem modus verbis potiùs, quàm

r Bernardinus Teleſius de rerũ natura lib. 1. c. 25

Cur grauia corpora ſurſũ attrahantur, aliorum opinio.

ſententia

Relata opinio reijcitur

ſententia diſcrepat à priore: quid enim diuerſi obſecro vos, illud habet, debere ſcilicet mundi partes nexu quodam ſe ſe omnes contingere, ab eo, quo nullam inter mũdi partes inanitatem interijci poſſe alij dixerunt? equidem, vt verborum patentem video differentiam, ita ne leuem quidem potui in ſententia coniectare: quemadmodum enim inter ea, quę connectuntur, ſeque contangunt nulla intermedia eſt inanitas; ita ea, quæ nullam habent interiectam inanitatem, neceſſariò connectuntur, sèque contangunt. quare & hic modus, cum à priore non differat, eiſdem, ac ille afficietur incommodis. præterquam quod, nec efficacem earum motionum cauſſam explicat, & neſcio quid tactus inter non ſentientia agnoſcit, à quo ſemper ſenſati debet philoſophi animus abhorrère.

De corporũ grauiũ aſcenſu Cardani ſententia.

[f] Hieronymus Cardanus acerrimo vir ingenio peregrinam magis videtur in hac re commentus opinionem: non enim vacui; ſed raritatis aſſerit metu, eam attractionem moliri naturam, quam imminentis inanitatis ratione concitari alij arbitrantur: ſiquidem dum ad inanitatem replendam attractum aerem aqua conſequitur, deberet hęc aeris ſpeciem, vel raritatem induere, ſicut aer in eam, quę ignis eſt conuerteretur; hanc verò ſui rarefactionem timens aqua, dum ſe ſe ipſam eo motu cõcitat, eo metu liberat. Quę quidem ſententia ſi tantum veritatis obtineret, quãtum habet argutię, iam huic vni deberemus omnes, non tantùm aſſentari, ſed etiam aſſentiri; cum pręſertim non conuenienter iure ipſam [t] Scaliger interpellaſſe videatur. quid autem veritatis ea primùm neceſſitas habet, qua creditur

f Cardanus de ſubtilit. lib. 1.

Relata Cardani ſententia reprobatur.

t Iul. Cęſar Scaliger. ad Cardanum exercit. 8.

Digitized by Google

creditur aqua ad inanitatem replendam acta debere ad aeris modum rarefieri? ſi enim id ea concitatio, vt credit Cardanus, prerequirat; ita vt nequeat aqua, niſi rarefacta, inanitati ſuccurrere; eadem ratione dicemus & nos, nec poſſe aquam raritatis metu aſcendere, raritate non indutam; vel quemadmodum poteſt ad raritatem ſubterfugiendam, ita pariter valebit ad inanitatem arcendam, quamuis non rarefacta, aſcendere. à quo deinde poterit tantus timor inijci, tanta raritas imminere? quod enim aerem trahit tantam rarefaciendi vim haudquaquam obtinet. Si verò ab vniuerſali natura eam raritatem inducendam exiſtimes; itane particularem aquæ naturam hac vniuerſali ſolertiorem arbitraberis, vt eam adeò politè, nullòque inanitatis, vel rarefactionis diſcrimine omnia reparãtem fatearis; hãc verò illud rarefactionis incommodum moliri potiùs, quàm arcere? vel id ipſum hac moliẽte, quomodo poterit particularis natura vniuerſalis impetum, & ferè iã attingentis, ſiuè attentantis operam retardare, ſubterfugere?

u Chriſtopharus à Vega 2. de arte med. cap. 3.

Grauia cur ſurſum aſcẽdãt recẽtiorũ ſententia.

u Alij denique ſunt, qui etſi nunquam inanitatis metu efferri grauia poſſe fateantur; ea tamen ſemper extrinſeca quadã vi aſſerunt cõcitari, ac proinde ſurſum violenter impelli: quæ enim inquiunt, concitanti aliqua ex parte obſiſtunt, violenter concitari neceſſe eſt; cum naturalibus motibus naturalia non repugnent. at inanitatis, vt ferunt, diſcrimine aſcendens aqua per tubos ægrè, & maiore quadam difficultate trahitur, quàm aer, & vniuersè quò denſiora corpora ſunt, eò difficiliùs, maioreque conatu hauriuntur. euidens profectò argumentum,

Quę ſurſum euitãdæ inanitatis cauſſa aſcendũt, violẽter nõnullis aſcendere videntur.

ca

ea his trahentibus obſiſtere, & ſolùm extrinſeca quadam violentia efferri: quippè ſi ſpontè ſua, vel naturę impetu mouerentur, promptiſſima accurrerent, trahentibùſque facillimè obſequerentur. Ea ergo, quæ aerem exhauriunt, eùmque ab aqua diuellunt, eadem ſunt quę ſurſum concitant aquam; vt hęc ſemper alienis viribus efferatur, extrinſeco impetu concitata. Sed quemadmodum adeò leue firmamentum, tàmq; parum virium falſitas habet, vt ſe ipſa facilè corruat; ita & relata ſententia ſuiſmet rationibus euertitur: qua etenim licentia, maiorem exigi conatum ad aquam tubis, vel follibus hauriendam, quàm aerem aſſeuerat, eadem & nos, tantùm debilitatas, atque confractas agentis vires fingamus, vt aerem ſolum, non aquam valeāt commouere: neque enim arctiùs, ac duriore vinculo aquæ aer poterit, quàm aquæ aqua connecti, & huius tamen partem haurimus, eo nexu, vel proxima comparte nè tantulùm repugnāte; ſic verò per tubos aere dumtaxat exhauſto, num aqua elatum aerem inſequatur, ab eius ſententiæ auctoribus percontemur; & ſi eam non inſequi poſſe reſpondeāt, iam planè videant inanitatem, à qua natura, & ipſi tantopere abhorrent, facillimè, nullòque virium momento inductam; ſi verò eam credant inſequuturam, en ſe ipſa, nullòque alieno impetu efferetur; cum eis, quæ aerem attollunt, viribus aquam concitari non poſſe poſuerimus. Certiùs itaque dicamus, ad aerem (itemque fateri debemus de aqua) qui ſede ſua conſiſtit, per eam attractionem attollendum, aliquid conatus, viriùmque requiri, eòque pariter nomine ipſum obſiſtere, attrahentique repugnare;

Prę iſcta recentiorũ ſētentia euertitur.

In quanam attractione grauiũ corporũ violentia verè fit.

pugnare;ad eum verò,qui ſucceſſione quadã hunc, ſede ſua diuulſum inſequitur, efferendum, nullum adhiberi conatum, violentiam non requiri, vt allato iam argumento,& noſtra inferiùs poterit ratione conſtare.

Hę ſunt eorum,qui principes in hoc genere cenſentur,rationes,atque ſententię;quamuis verò ſuauiſſimos inter Luſciniarum concentus nunquam debeat montanus bubo concinere; nunquam inter Hercules audiat ſe ſe pygmeus efferre; patiamini obſecro vos hodie Academici,me bubone, & pygmeo viliorem inter philoſophicæ vniuerſitatis Luſcinias,& Alcides meę ſententię cantum exponere, vim rationis aperire.

Elementorũ locus nõ debet per ſurſum, atque deorſum definiri.

Primùm verò illud ponamus oportet,ſimplicium corporũ:quę elementa dicuntur, non eam propriè eſſe ſeriem,atq; ſedem,quę ſurſùm, atque deorſum diſtincta, his omninò terminis continetur: quippè cum ſurſum, atque deorſum noſtri tantùm reſpectu dicantur, nullo pacto poſſunt elementorum vera, illiſque naturaliter conuenientia loca conſtituere. optimè hac parte [x] Ariſtoteles non idem inquit, ſurſum, & deorſum omnibus,& ipſi vniuerſo; vel, vt [*] alibi, ſurſum, atque deorſum, dextrum, atque ſiniſtrum nõ ſemper nobis idem,ſed ſecundum poſitionem, vt conuertimur fiunt. at liberiùs idem animaduertens [y] Plato, cum vniuerſum inquit,rotundum ſit, locum habere ſuperiorem, aut inferiorem vir prudens minimè affirmabit, &, vt dicebat [z] Alcinous,nihil ſurſum eſt, ſiue deorſum: etenim ſi cœli nos regione inſideremus, ignìſq; nobis ſuppoſitus ſubiaceret ad pedes, tunc nequaquam ſurſum;

Surſum,atq; deorſum nõ ſecundũ naturã, ſed ſecundum nos dicuntur.

x Ariſt. 2. de anima tex. 38.

* Ariſt. 4. phyſ. tex 5.

y Plato in Timeo.

z Alcinous in inſtitutionibus ad doct. Plat. cap. 15.

Digitized by Google

ſum; ſed deorſum ignem locari diceremus, vt nunc terrę hac regione degẽtes, ſurſum eundem poſitum omnes dicimus. non ſecus, ac ſuos explicans Antipodes * Pythagoras, quę deorſum nobis ſunt, illis ſurſum eſſe dicębat. ita elementorum ſede non mutata ad noſtram tantùm poſitionem hi termini cõmutantur. pręterquàm quòd dum ſurſum ignem contineri aſſeris, eundem aduerſa ex parte deorſum poſitum cogeris arbitrari: loco ſiquidem, quo ignis clauditur, circũſcripto, alter huic, qui ſurſum dicitur, oppoſitus neceſſariò debet (vt aduerſa contrarijs referantur) deorſum eſſe vel ex [aa] Ariſtotelis doctrina iudicari; at in hoc oppoſito etiam continetur ignis, quippe qui vniuerſum cœli ambitum ſuo circulo comprehendit. qua igitur ratione, circuli ſuperiore regione deſignata, quę huic oppoſita in ipſo eſt, dicetur inferior, eadem & ignis, qui toto circulo clauditur, vt altera ex parte dicitur ſurſum, ita ex oppoſita deorſum neceſſariò diceretur. Vel quomodo, obſecro vos, potuit contra Empedoclem aſſerere [bb] Ariſtoteles, plãtarum radices, non ſecus ac animalium capita, ſurſum contineri, nec radicum augmentum poſſe dici deorſum, ſi regio quędam eſt naturaliter ſuperior, quę ſurſum appellatur?

* Ex Suida ſub Col. 1246 in verbo Pythagoras.

aa Ariſt. 8. phyſ. tex. 64.

bb Ariſt. 2. de anima tex. 38.

Elemẽtis locus quis naturaliter cõpetat.

Quis ergo locus, quę ſedes elementis per ſe, & naturaliter aſſignabitur, ſi ſurſum, atque deorſum ad nos, non ad naturam dicimus? Non alia profectò, niſi ea, quam naturę ſolertiam perdoctus Ariſtoteles aſſignauit; etenim [cc] cum locus ambientis corporis ſuperficies, eo auctore, dicatur; cùmq; lunę ſuperficies ignem ambiat, ignis aerem, aeris

cc Ariſt. 4. phyſ. tex. 41.

aquam,aquę verò terram, hinc & iſta eſſe naturaliter his corporibus circumſcripta habitandi loca nullus non poterit aſſeuerare. qua propter ipſemet [dd] Ariſtoteles aqua inquit, circa terram extenditur, ſicuti circa hanc aeris ſphera, & circa hanc quę dicitur ignis. & rurſus terra [ee] inquit, in aqua eſt,aqua in aere,aer in ęthere,æther in cœlo. eadémq; ratione ante Ariſtotelem [ff] Parmenides vniuerſas mundi partes veluti coronas eſſe affirmauit, tali nexu inter ſe ſe diſpoſitas,vt vna ab alia contineatur. Nec eam quidem ſeriem eorundem elementorum natura non exigebat: cœleſtibus etenim corporibus, luce tam claris, mole tam amplis,motu tam rapidis, à corruptela tam alienis, viribus adeò potentibus quid profectò aptiùs cohęrere poterat,quàm ignis,qui proles luminis à [gg] Platone dicitur, reliquis elementis amplius ab [hh] Ariſtotele iudicatur,agitatione cietur velociſſima,* putredini non obnoxius,ſuis omnia viribus opprimit, vt nihil eo propius cœli naturam attingere videatur? quidue cum igne poterat deinde aptiùs aere connecti, qui calore illi non diſpar, tenuitate affinis,puritate proximus,adeò eſt perſpicuus,vt aptiſſimum ſit luminis receptaculum,& humiditate circumſcripta,vnicum ignis ſimulachrum? aeri pręterea quid aqua ſubijci congruentiùs debebat, quę pariter ac ille humida,non minùs diffluit,non longè craſſior, non valde denſior,aliqua etiã eſt ratione perſpicua? aquę tandem commodiſsimè ſubſtat terra,illi in frigore conſors, in craſſitie ſimilis,à reliquis elementis omni ratione remota; vt iure his locis diſpoſita elementa in vnum, vt inquit

Marginal notes (left):

[dd] Ariſt. 2. meteor. ſũma 1. cap. 2.

[ee] Ariſt. 4. phyſ. tex. 46

[ff] Ex Gal. de hiſtor. philoſ. cap. de ordine mundi.

[gg] Plato in Cratylo.

[hh] Ariſt. 3. de cęlo tex. 47. & 2. de gener. & corr. tex. 37.

* Ariſt. 4. meteor. c. 2.

Marginal notes (right):

Vt ex Parmenide mũdi partes tã quã coronæ ponantur.

Quã conuenientiam habeat cęlum cum igne.

Quantũ igni aer affinis.

Quo pacto cum aere aqua congruat.

Aquæ,& terræ proportio.

Se ſe cōplectētium elementorum conſenſus.

i i Plotin. Enneade 4. lib. 4. c. 38.

i i Plotinus, videantur contexta, concordiamq; parere admirandam: quantùm enim ſe ſe poterant contrarijs inimica qualitatibus oppugnare, tantùm communibus alijs fœderata concordant, & quibuſdam veluti brachijs, acrem ignis calore, aer aquam humiditate, aqua terram frigore amplexantur. Tantùm hæc loca naturæ conſenſio exigebat, adeò conueniens erat hæc ipſorum diſtributio.

Quantùm proprias ſedes expetāt elementa.

Hæc intelligentibus mirum procul dubio non videbitur, dum eadem elementa naturalem, quem obtinent, locum omni ſtudio aſſeruant, deperditum perditè anhelant, omni induſtria veſtigant, vndique repetunt, ac inſectantur: eàque re nullum ipſorum eſt, quod, ad locum ſibi comparandum, plura non tentet, ardua queque non moliatur: terra enim omnia grauitate opprimit, ac violentà quadam oppreſſione compellit. aqua ſemper agitata diffluit, ſe ſe cogit in orbem, & quantùm per viarum lubrica demittitur, tantùm ſe ſe erigit in accliuia. aer impetu quodam fluctuat, aquam in bullas eleuat, & exagitat, terram commouet, ac diſſoluit, ſemitas penetrat anguſtiſſimas, & quacunq; fremebundus oberrat. ignis denique continuò ſe ſe mouens aſſurgit in pyramidem, concutit terram, ſcindit montes, demolitur machinas, repagula queque confringit; tantum, vt ſuis ſe locis reſtituāt, elementa contendunt; nec profectò iniuria, cum eis locis non modò particulares elementorum naturę ſumma conſenſione ſeruentur; ſed in vniuerſali etiam ordo, & vnitas; ordo quidem, dum ea ſeries nulla ex parte redditur non admirabilis, nec conueniens; vnitas verò, quando ita ea poſitione elementa cohęrent,

Qua vi proprium terra locū repetat.
Quibus modis ad propriā ſedē ſe ſe conuertat aqua.
Quæ moliatur aer, vt propriū locū obtineat.
Quo impetu ignis ad ꝓpriū locum properet.
Quid ex cōmoda & naturali elemētorum poſitione afferatur.

F 2 corùmq;

eorùmque extima coeunt;vt ſimul ſinè vllo interſtitio ſint,nec plano diuerſo (ſi ita loquenti credimus [kk] Ariſtoteli)diſtinguantur; idque ſi verùm eſt, continuari inuicem(quę ſumma vnitas eſt)elementa,non tantùm contangi credere debuit [ll] Ariſtoteles,quippe illa eidem cõtinua viſa ſunt, quę dum ſe ſe tangunt,vnico termino continentur.

Elementa cõtinua ſũt, nõ cõtigua, ex Ariſtotele.

kk Ariſt.25. ſect. proble. problema 3.

ll Ariſt.5. phyſ.tex.26.

Eadem denique ratione credo equidem(niſi mea me fallat opinio) corpora,quæ alij inanitatis metu cieri dixerunt,eleuari,& ad eam,quę aliena videtur, regionem veluti propriam efferri. ſic aqua (vt in propoſito conſtemus exemplo) fugientem, vel attractum aerem inſectatur, vt propriam ſibi ſedem obtineat, & non ſecus ac proprio loco depulſa illum perfractè repeteret, ſic ad aerem,qui naturalis ſibi locus eſt, ſua ſede propè conuulſum accurrit, atque feſtinat. Hinc verò conſequens eſt, ea ſede, tanquam propria, occupata, inanitatem arceri, & quemadmodum dicebamus, non vt hanc propriè, directèque auertant, ad has ſedes elementa diuertunt; ſed vt loca ſolùm ſibi naturalia veſtigent,atque obtineant;his verò obtentis conſequente quadam neceſſitate inanitas prohibetur. Quo planè modo iam omnis cadit difficultas,cedit admiratio: quandoquidem non alienę ſedes hac ratione tentantur,ſed propria domicilia perquiruntur;non oppoſiti,ſed naturales termini veſtigãtur, nihil ab alicuius natura alienũ imponitur,ꝙ eo poterit planiùs liqueſcere:ſic enim aerẽ aſſequuta,ſuapte confeſtim natura,quieſcit aqua,nec incertũ ſignũ [mm] quies eſt, naturalẽ locũ obtineri.queadmodũ,vt noſtrã quoq; orationẽ ſuũ obtinuiſſe locũ demonſtremus,erit pariter quieſcendum.

Grauia cur ſurſũ attrahantur propria auctoris ſentẽtia.

Inanitatem cur fugere videatur natura auctoris opinio.

mm Ariſt.1. de cęlo tex. 100.

Quo

Quo pacto ſimile à ſimili attrahatur.

EXERCITATIO IIII.

Ex varietate meritò cẽſetur rerũ vniuerſitas pulcherrima. Cęli, Terręque varietas.

QVi vniuerſitatem hanc, qua omnia continentur, ſola rerum varietate pulcherrimã eſſe credidit, nec ſenſuum fidem ſinè ratione, nec rationes ſinè ſenſibus exquiſiuit: etenim ex aſtrorum diuerſitate, diſcurſuum varietate, diſparibùſque luminibus tantam habent cęli pulchritudinem, vt nulla ſpecies ne excogitari quidem poſſit ornatior; eadèmque reddit varietas haud cęlo minùs terrę ſpeciem admirabilem: hinc.n. ſyluarum horrida, inde hortorum amęnitates, montium ſumma, depreſſa vallium, arborum acies, plantarum exercitus, florum agmina, fructuum copiæ, & omnium denique varietates quantùm inter ſe diſcrepant, tantùm in pulchritudine exornanda conueniunt; quin vt hominem natura gigneret eximia pulchritudinis ſpecie nobilem, ipſum elementorum congreſſu, membrorum compagibus, mortalitatis, & immortalitàtis vinculo, omnium genuit maximè varium, atque multum. quę cum veriſſima ſint, mirũ nemini videri debet, ſi varietatem rerum omnium maximè iucundam dixerit [a] Ariſtoteles, ſi hanc eandem omnium naturę videantur expetere; nec iniuria, cum præclarum quoddam, nullis concluſum limitibus omne infinitatis genus exiſtat; plura autem

Omniũ maximè varius eſt homo.

Cur varietas maximè iucũda ex Ariſtotele.

[a] Ariſt. 1 Rhetor. c. 11.

b Ariſt. 18. ſect. problematum problemate 9.

tem, (vel ipſo teſte [b] Ariſtotele) infinitatem quodammodo participant. Verùm illud potiùs debet admirationem vnicuique mouere, quo pacto eadem natura tantùm varietatis amica, non varijs, atque diuerſis, ſed ſimilibus alliciatur; ita vt non modò ſimile ſimili ſemper hæreat: ſed quaſi ipſamet natura varietatis oblita, ſimile à ſimili attrahatur.

Cur natura varietatis amica, ſimilibus tamẽ allicitur.

Auget admirationem & rei difficultas: cum etenim ſimilitudo communis quędam ſit plurium imagò, ſiuè collatio, quid, quoue imperio poterit ad attrahendum impellere? Vel ſi velimus emolumentis, & commodis omnia metiri, quid huius generis poterit ſimile ab attracto ſimili expectare? [c] cum enim ſimile non ſit idem, hinc quędam habet his, quibus eſt ſimile, communia; quędam verò, quæ cum illis nullo pacto conueniunt. at nihil hęc emolumenti, vel commodi parere poſſunt: quippe quę nõ ab eius natura ſolùm, ſed ab operatione quoq; ſunt aliena, & ita ſe habent, ac ſi nullo pacto congruerẽt. Nec aliquid poteſt eorum cauſſa, quæ communia ſunt exigi: ſiquidem ea iam in vtroque ſimili prę ſunt, vtriuſque cupiditate ſic expleta, vt cum ipſa noua non ſint, nihil denuò poſſint afferre; vel ſi afferant, quis ſimili alterius ſimilis nunciat prę ſentiam, vel intuetur aſpectum, cum ſolùm certa quadam diſtantia hoc accurrat, vel illud attrahat?

Similitudo non videtur impellere poſſe ad attrahendum: Nihil videtur poſſe ſimile ab alio ſimili expectare.

c Ariſt. 10. metaph. ſumma 2. cap. 1.

Tantùm profectò videtur hæc apud antiquos inualuiſſe difficultas, vt cum eius rationem expedire fortè non poſſet [d] Homerus, ad Deum videtur, vt ſui moris eſt, confugiſſe, dum inquit;

Antiquorũ in attractione ſimilium opinio.

d Hõ. Odiſs. lib. 17.

Ad ſimilem Deus adducit ſimilèmque, parèmque.

quod & approbans [e] Galenus, Deus inquit, eſt illa,

e Gal. de Theriaca ad Piſon. cap. 3.

ſicut

„ ſicut in hominibus, natura, prout ſentit Homerus, „ quæ ſimilibus ſimilia adducendo diuinas eo pacto ſuas vires oſtendit. Nec his clariora loquuti videntur * Aegyptij, qui ea præſertim ratione naturam magam appellarunt, vim ipſam magicam in attractu quodam ſimilium per ſimilia, vel conuenientium per conuenientia collocantes. Recentiores verò ſympathiæ nomine velantes magis, quàm explicantes rem, nihil, præter nomen, ab occultis, quas iactant, cauſſis diuerſum attuliſſe videntur.

Naturam Ægyptij cur appellabant Magam.

* Ex Marſil. Ficino in Apologiam Platonis.

Recentiorũ de eadem re ſententia.

Vnus [f] Fracaſtorius hæc rationi magis apta, videtur huius generis euentibus aptaſſe, petita quidē vel e rerum illis ſpeciebus, quas ſpirituales appellant, vel ex inſenſibilibus illis, quę è rebus effluunt, corpuſculis: hæc enim ab vno ad alterum ſimilium mutuò tranſmiſſa, in totum quoddam, licet difforme, coeunt, cuius particulę non conuenienter diſpoſitæ commouentur, & ſubiecta etiam, quibus inſunt moueri accidit, atque coire. At explicandum adhùc erat Fracaſtorio, quam vim habeant illæ ſpecies, ſiue corpuſcula, è proprijs finibus iam egreſſa; adeò tenuia, vt ſenſum fugiant, ſolida alioqui corpora commouendi, & contra naturæ impetum plerumque trahendi. quod ſi ea corpuſcula, ſiue ſpecies dum è corporibus effluunt, licet quis violenter flabello ventilaret, fortiſſimè agitaret, haud poſſent tamen corpus, cui inſunt ne tantulùm commouere, qui poterunt idem in ea commotione rapere?

Fracaſtorius quid de ſimiliũ attractione dixerit.

f Fracaſt. de ſympat. & antipat. c. 5.

Fracaſtorij in ſimilium attractione ſententia reijcitur.

Sed quādo nequit ingenium his aliorum opinionibus acquieſcere; certiorem ſentētiam indagemus; illùdque erit pro hac re generaliter repetendum, quod

g Ariſt. 1. Ethicor. c. 8. & lib. 8. c. 1. h Ariſt. 1. Rhetor. c. 11. i Plato 8. de legibus.

quod dixit [g] Ariſtoteles in moralibus, & inductione quadam probat in [h] Rhetoricis, ſimile à ſimili ſemper appeti, cuius & indicium videtur quoque ſubſcribere, dum ſimile inquit, amicum ſimili, & in legibus [i] Plato, amicum inquit, vocamus ſimile ſimili quoad virtutem, & æquale æquali: primò enim, & maximè cuique ſecum eſt, hinc proximè cum ſimilibus. Vt autem hęc omnia ratio ipſa confirmet, paululum quæſo, altiùs quæſito exordio, digrediatur oratio.

Simile à ſimili ſemper appetitur.

Principio omnes naturæ concentus, atque conſenſus, omnes conatus, & induſtriæ ad rerum ſiue ortum, ſiue conſeruationem pertinent; & quamuis ille magis, quàm hæc quadam quaſi generis dignitate præfulgeat: quippe qui creationi, cuius pręclariſſima ſunt natalia, quadam veluti cognatione magis hęret: ea enim, quę creantur ex nihilo emanare dicuntur, vndè longiùs, quàm ortus ſeiungitur conſeruatio, quę rem omnibus numeris perfectam, expletamq; reſpicit, quando ille etiam ex aliquo non eſſe traducit; quamuis inquam, ita rerum conſeruationi earundem pręſtet exortus; quia tamen omnium, quę naſcuntur finis quodammodo videtur conſeruatio, cuius viribus perſeuerat quod eſſe cępit, quin ipſa eadem videtur continuatus quidam, omnibúſque momentis repetitus exortus, idcirco non minus de rerum conſeruatione, quàm ortu ſolicita videtur eſſe natura, & quemadmodũ vires quaſdam ad ſibi ſimilia generanda rebus ingenuit, ita eędem ad ſibi ſimilia conſeruanda in ſimilibus videntur appoſitę, vt idem rebus generandis, conſeruandiſq; pręſit, & quę poſſunt ſibi ſimilia gignere, faciliùs,

Quæcunque natura molitur ad rerũ generationem, vel cõſeruationem dirigit.

Generationem conſeruatione præſtantiorẽ eſſe probatur.

Omniũ, quæ naſcũtur, finis eſt conſeruatio.

Cõſeruatio quid ſit.

Similibus gignuntur ſimul, ac conſeruantur omnia.

Quodlibet ſui appetit conſeruationem. Cur ſimile à ſimili appetatur.

faciliùs valeant ſibi ſimilia conſeruare; cùmq; maximam ingenuerit omnibus conſeruandi ſui eadem natura cūpiditatem, hinc omnibus quoq; ſimilium, tanquā conſeruationis eius auctorum, ingenuit appetitum; & quemadmodum ex Ariſtotele dicebamus, ſimile à ſimili ſemper appetitur, quin vt appetitus, vel indigentia expleatur, ſimile à ſimili ſępiſſime trahitur: vtriuſque enim ſimilis vna, atq; eadem eſt, vel potiùs mutua conſeruatio.

Duobus modis dicuntur ſe ſe ſimilia attrahere.

His itaq; commodis pellecta ſimilia ſolent etiam ſe ſe ipſa allicere, & attrahere; modum verò, quo id operis generaliter perficiunt, non niſi duplicem video: vel enim accurrunt ad ea, quę ſibi ſimilia ſunt, quo iure non pauca dicemus ad ſibi affinia moueri tanquam ad loca, quibus aptiùs conſeruantur. Sed hoc pacto veram attrahendi rationem nequeunt ſimilia vſurpare; cum ſe ipſis, cœcòq; quodam naturę impetu, vel consilio potius ad ſua loca ferantur, vt perpetuum eſt omnium natura conſtantium inſtitutum. Vel propriè quę ſibi ſimilia ſunt, attrahunt, & tunc quia neceſſe procul dubio eſt alterum ab altero dignoſci, allici, & commoueri, cum certa quadam diſtantia id tantùm abſoluant; hinc ea dumtaxat aſſerimus poſſe per ſimilitudinē propriè attrahere, quę aut cognitionis modo aliquo ſibi ſimilia veſtigare poſſunt, & attingere; aut id habent ab animę viribus, vt non ſint attrahendo imparia, vt pręſertim ab animantibus dicemus attrahi nutrimenta: neque enim, pręter animę vim, alterum, quo ſimilia attrahantur, modum vel tenere ſensibus, vel concipere animo poſſumus: pręterita namq; ſimilitudine, quę humori melancholico eſt

Quæ propriè ſe ſe attrahũt, ſe ſe etiã dignoſcant neceſſe eſt.

Animata ſolùm ſe propriè per ſimilitudinem attrahunt.

Multa ſimilia ſunt, quę, quoniã inanima, ſe non attrahunt.

G cum

Digitized by Google

cum terra, pituitoſo cum aqua, ſi prouerbijs etiam [K] fertur maximè ouum ouo ſimile, nihil aqua ſimilius aquæ; quid ergo eſt cauſſæ, cur ouum ab ouo, aqua ab aqua non trahitur?

K Ex Cic. 2. Acad. quæſt. & Plauto in Menœhmis, & in milite.

Communem iam, aſſiduòque vſu contritam audio reſponſionem, qua huius generis omnia, quę attulimus [l] inquiunt, eadem quidem eſſe, non ſimilia; at verò quæ ad attrahendum affinitate vrgentur, non eadem eſſe debere, ſed ſimilia; quippe non ferrum ferro trahitur, non carne caro, ſed ab hac ſanguis, illud magnete, eiſque omnino, quibus cum ſimilitudines intercedunt. Quę quidem reſponſio quamuis, vel præceptoris auctoritate, vel fucoſo quodam veriſimilitudinis apparatu animum primo aſpectu poſſit à rei veritate diuertere, ſi tamē penitus perpendatur, momentòq; ſuo ponderetur, omnibus planè videbitur non commenta ad ſcientiam, ſed aptata ad effugium: etenim ſi ob mutuam, quam appetunt, conſeruationem ſe ſimilia attrahunt, quis hanc eandem non videt faciliùs ab eis, quę eadem ſunt, pręſtari? ſiquidem vt ab eiſdem faciliùs eadem generantur, quàm à ſimilibus, ita ab ipſis faciliùs, quàm à ſimilibus conſeruantur: quę enim generandi operi præſunt, eadem faciliore quodam modo conſeruationi præeſſe, vel ſupra monuimus. nec equidem temerè audeo tam oſcitanter hallucinatam eſſe naturam credere, vt quæ rerum conſeruationem pręſtare non poterant, ad procreationem elegerit, quæ & maiore dignitate pręſtantior, & vehementiore efficacitate potentior; quin cum cōſeruatio continuatus quidam ſit exortus, vel geniti in eodem, quod à genitore habuit eſſe perſe-

l Ex Gal. 3. de ſimpl. cap. 25.

Quæ ſimilia ſunt, nō quę eadē, vo'u-runt nōnulli attrahi.

Quæ eadem ſunt fac liùs poſſunt qđ à ſimilib⁹ pręſtatur, abſoluere.

Cōſeruatio faciliùs eſt ab eiſdem, quàm à ſimilibus.

Quid ſit cōſeruatio.

Digitized by Google

perſeuerantia, quibus poterit prſtari faciliùs, atq; meliùs, quàm illis, quæ & hoc idem eſſe habent, & illud communicare conſueſcunt? quid? quod ſenſus etiam id declarat? aqua enim ſuis, quę ſibi eędem ſunt, collectis partibus ita meliùs aſſeruatur, vt hoc nomine mare ſecundùm totum dixerit [m] Ariſtoteles non putreſcere; quę ratio etiam eſt, cur vniuerſi partes omnes ſuapte natura ſe ſe colligant, vnòque ambitu concludant. Sed quando hęc omnia non vrgerent, illud procul dubio conuinceret: vt enim eis, quę maiorem vim contrarietatis habent, res faciliùs deſtruuntur, ſic eis, quę magis eadem ſunt, faciliùs conſeruantur. Ex his verò conſequens eſt, vt credamus, quòd ſi ea ſimilitudinis ratio ad ſimilia attrahenda, couſeruationis ſtudio impelleret, fortiùs ad ea, quę eadem dicuntur, rapienda vrgeret; id verò cum nullis natura conceſſerit, vnis animantibus vel eadem, cum prſtò ſunt, vel ſimilia attrahendi vim ad conſeruationem ineſſe credamus oportet; reliqua verò, ad quę vitale hoc motionis principium nō pertinet, huius etiam facultatis redduntur expertia, vt de ipſo etiam magnete ſuo [n] loco explicabimus; at viuentia vltrò poſſunt quod ſibi ſimile, vel idem eſt allicere, paritèrque alienis illecebris excitari; poſſunt alia vtilitatis ſpecie irretire, & ipſa ſimul emolumento capta moueri, vt quamuis omnibus conſeruationis indigentia ſit cōmunis, ſolis tamen animantibus peculiari quadam ratione videatur eſſe pręcipua, quibus etiam peculiaris ineſt ratio appetitus. Neque id diſcriminis putetis à naturę legibus alienum; vel [o] Plutarchus enim Galli ducis ore, hoc inquit, naturę quodam

Viuentia ſolùm poſſunt ſibi ſimilia allicere, vel ab illis allici.

Plura ſęper habent ſuperiora inferioribus.

[m] Ariſt. 4. meteor. c. 2.

[n] Exerc. 19.

[o] Plutarc. in vita Camilli.

inſtinctu inſitum eſt, plura habere potentiores inferioribus, vel, vt apud p Platonem inquit Callicles, natura ipſa demonſtrat, vt pręſtantior plus habeat, quàm inferior, & potentior, quàm debilior. Confirmat eundem pręterea modum modus, quo ſimilia attrahuntur; quippe nequeunt, niſi tacitè ſaltem pręcognita ſimilitudine commoueri, vt in amantibus cernimus, qui tacito quodam ſimilitudinis conſenſu raptantur ad vnionem; quod & poetę, fabularum commentis phyſica ſępe ratione velata, non ineleganter exponunt, dum Narciſſum q fingunt, quam argenteus fons expreſſerat, ſuimet imagine captum. Hic dum ſuę pulchritudinis ſpeciem probat, dum cuncta, quibus ipſe reliquis mirabilis erat, admiratur, dum illis inhiat, quę ſolus poſſidet, & ſua etiam copia quaſi redditus inops, ſuam oculis imaginem vorat, ſemet ipſum anhelat, & vehementiſſimi amoris incendio flagrat: nulla enim propria imagine anguſtiùs vrget ſimilitudo. Sic ſimilia, proprias tanquam imagines, ſimilia appetunt, & quaſi ſe ipſa repeterent omni, dum poſſunt, impetu, atque contentione veſtigant, quòdq; deberet, illius ratione communitatis, animum à deſiderio alienare, magis etiam excitat, vel planè confirmat: poſſunt ſiquidem communia, ſiue eadem ſe ſe ad conſeruationem, quamuis non ad poſſeſſionem, quę expleta iam videtur, appetere. Dum verò animantia eadem potiùs varietate capiuntur, vel id habent, vt ſimilia maiore cum voluptate poſſint deinde repetere, vel ad ſatietatis cuiuſdam, faſtidiique leuamen; quemadmodum & me audiendi ſatietas vocat vos ad alia.

p Plato in Gorgia.

q Ouid. 3. Metamorph.

Narciſſi fabula quid apud poetas denotet.

Cur, & quãdo animãtia varietate potiùs, quàm ſimilitudine capiantur.

Quo-

Quomodo calor attrahat.

EXERCITATIO V.

Vulcani deſcriptio ex antiquis.

VLcanum vt ignis auctorem credidit, ita illius aſſimilem corpore, & miniſterio finxit [a] antiquitas: etenim cœlo demiſſum, ętate ſenem, viribus prętantiſſimum, & ante omnes alios fabros dexteriorem [b] prędicauit; illud verò vnum eidem tributũ inter ea planè videtur ab ignis natura alienum, dum claudus nimirum effingitur; ita vt; [c] in Deorum aliquando conuiuium inductus non mediocrem riſum claudicatione concitauerit; at in igne tanta pedum videtur ineſſe pernicitas, vt eum volucrem potiùs, quàm claudum credere debeamus. Neque verò quod vulgò in hac re [d] fertur arridet, claudicare ſcilicet quodammodo ignem, dum ad inęqualem pyramidis figuram ſe ſe erigens, altero, eòq; tortuoſo crure videtur aſcendere. Sed abſtruſius aliquid, & antiquitate dignius veſtigandum; primùmq; accipiamus, quod propriè animalibus ire pedibus eſt, id tralatione quadam in inanimatis operationem deſignare; princeps autem ignis operatio circa vitam eſt, quę calore ſimul, & humiditate, tanquam duobus cruribus, tenetur; & vt inquit * Ouidius;

Vulcan⁹ cur claudus fuerit ab antiquis dictus.

Ignis quomodo ſub Vulcani perſona claudicare dicatur.

> *Quippe vbi temperiē ſumpſere humòrq;, calorq;*
> *Concipiunt, & ab his oriuntur cuncta duobus.*

çùmq; in igne vnus vigeat calor, hinc altero tantùm

nixus

a Diodor. Siculus de geſtis antiquorum lib. 1.

b Hom. Iliad. A. lib. 1. & E lib. 18. & Arnob. lib. 4. aduerſus gentes.

c Hom. ibid.

d Pier. Valer. hierogli. lib. 18. circa fin.

* Ouid. 1 Metamorph.

Digitized by Google

e Hippocr.l. de dieta.

Animantia oia ex duobus conſtituuntur.

nixus crure fingitur claudicare. quod his enigmatibus reuelatis expreſſit [e] Hippocrates, dum cõſtituuntur inquit, animantia omnia ex duobus differentibus quidem facultate, concordibus verò, & commodis vſu, igne inquam, & aqua, quę ambo ſimul ſufficientia ſunt, tum alijs omnibus, tum mutuò ſibi ipſis; vtrumuis verò ſeorſim neque ſibi, neque alteri ſufficiens eſt. Hęc Hippocrates. ij verò, qui fabularum pigmentis naturam adumbrare, quàm exprimere maluerunt, claudicante Vulcano id fortaſſe indicarunt, ac ſi muneribus ſuis imparem, atque mancum ſinè humiditate calorem diceremus; è quo quidem ſenſu nec [f] Philo fortaſſe videbitur abhorrere, dum claudum effictum ignem notat, quia materia ſubnititur, qua durante durat, deficiente diſperit: etenim ita vitalis calor humiditate, tanquam materia ſuſtinetur, vt ea perſeuerante conſiſtat, recedente euaneſcat; quin adeò ad caloris opera elaboranda conſors humiditas exigitur, vt quocunque loci abſconditam calor ſumma induſtria veſtiget, retruſam, penitùſque abditam reuocet, ac ſemper attrahat. Sed quantùm calor in humiditate attrahenda ſolicitus, tantùm & nos ad artem, qua hęc attractio abſoluatur, exquirendam noſtro munere obligamur.

f Philo Iudeus lib. qđ mundus ſit incorrupt.

Calor ad humiditatem quomodo ſe habeat.

g Auic. lib. 1. fen. 1. doctr. 6. c. 3. Apponēſis in Cõciliatore diff. 51. Turiſanus lib. 3. artis med. comm. 60. Scaliger ad Cardanũ exercit. 104. num 12.

Calorem voluerunt nõnulli attrahere ob inanitatem.

Nec equidem adeò facile id problematis reor, vt cum [g] pręclariſſimis alioqui viris, ad inſigne illud, quo vniuerſa natura tenetur, inanitatis odium attrahentis caloris vim audeam reuocare: dum enim iſti proprium caloris eſt inquiunt, materias extenuare, & in tenuiſſimos conuerſas vapores effundere; ea verò effuſione veluti euaneſcentes partes locum

deſe-

Digitized by Google

deſerunt,ad quem occupandum, vt inanitas arceatur,aliæ quadam inſinuatione ſuppeditentur neceſſe eſt; eàq; re calor nouas materias,inanitatis periculo interiecto,ita videtur attrahere,vt hoc præſertim nomine [h] Galenus omnia, quæ materias diſſipant,attrahere,& quę pariter attrahunt,diſſipare docuerit. dum hæc inquam, afferunt iſti nec naturam penitùs perſcrutati,nec caloris opera luculenter noſse videntur;ſed dum calorem ita naturæ credunt obſequentem,illum potiùs faciunt repugnantem: quippe à natura calori inſita vis eſt adeò omnia,quæ peruadit raritate quadã ampliandi,vt inanitatis omne diſcrimen ſic potiùs arceat, quàm inferat; cum verò eius,quod vocant vacuum,periculo vniuerſa caloris actio vacua ſit, qui ad hoc ſubterfugiendum poterunt calorem fingere attrahentem? quin etiam adſcribi id deberet contrario frigori,quod cum omnia cogat,promptius eſt ad inanitatis periculum maturandum. perappoſitum huic ſenſui exemplum eſt ex inflammatis membris, quę dum per calorem,vt inquit [i] Hippocrates,ad ſe ipſa humores attrahũt,plenitudine potiùs, quàm inanitate fatigantur;dum verò calorem afferunt vapores excitantem, eòſque nimia extenuatione euaneſcentes inanitatis periculum parare; cur nequeunt euaneſcentes illi vapores aliarum partium inducta raritate rependi, eorùmque locus iſtarum augmento repleri? quin deinde proximus aer,humoribúſq; mobilior ad eam inanitatem replendam attrahitur, cum ea ſit hoc in diſcrimine propulſando lex omnibus conſtituta,vt ex eis, quæ concitantur, illa, quæ tenuiora ſunt, ac promptiùs ſubeunt, priora etiam

Calor non attrahit ratione inanitatis.

Frigus potiùs,quàm calor inanitatem poteſt inducere.

Quã legẽ ea feruent,quæ ratione inanitatis accurrant.

h Gal. 6 de cõpoſ. med. per genera cap. 13.

i Hippocr. lib. 1. de morbis.

etiam accurrant? quid? quod exinanita membra, ob ſubſtantię mollitudinem, quam obtinent, ſubſidunt potiùs, ſibiq; ipſis cohærent, quàm inane interijci patiantur? qua ratione dum medicamentis humorum copia exhauritur, alij non aduocantur humores, nulla fluxio concitatur, & maior tamen ea eſt, quàm è vaporibus, quos calor diſſipat, inducta vacuitas. Si denique ad euaneſcentis vaporis complendum locum feſtinarent humores, tantum ipſorum deberet accurrere, quantum eius loci capacitas exigeret, vt eodem diſcrimine vrgente in alijs experimur: eadem enim neceſſitatis ratio naturam ad ea, quæ impendent diſcrimina propulſanda pariter vrget, ac ab eis, quæ ſuperflua ſunt, auertit. ad calentia verò membra tantus fit caloris ſtimulo humorum concurſus quantum, vel maximè aperta, & ferè diſtracta neque ipſa capiunt, ita vt proxima etiam debeant diſtendi, atque compleri.

Exinanita men bra nõ poſſunt inanitatis periculũ afferre.

Vltrà loci capacitaté accurrunt humores ad calétia mẽbra.

Minùs eneruata, minùſque futilis [k] illorum videtur ſententia, qui propriam, & per ſe attrahendi poteſtatem calori tribuentes, non tam illam veriſimilitudinis adornare pigmento, quàm rationum momentis ſtabilire contendunt: [l] vt enim repercutiendi vim frigori inſitam, & per eam ab ipſo etiam influentes repelli humores intuemur, ita & parem attrahendi vim calori tributam credere contrariorum lege iubemur. [m] quid? quod venulæ dum æſtiuo tempore areſactæ ichores, vt inquit [o] Hippocrates, ad ſe trahunt, id non compulſæ familiaritate ſubſtantię, nec inanitatis diſcrimine impendente, ſed ſola caloris opera exequuntur? pari præterea ratione Tapſia cuilibet noſtri corporis particulę

Calorẽ per ſe, & ex propria natura attrahere dixerunt alij.

k Valleſ. 7. controuerſ. c. 3. & alij, vt infra.

l Valleſ. loc. citato.

m Chriſtofarus à Vega 2. de arte med. cap. 3.

o Hipp. 4. de ratione victus in acutis tex. 1.

culę inhęrens, ſanguinem poteſt ad eam ſui caloris imperio conuocare; P vel quis denique non videt, potentiſſima caloris vi quàmfacillimè proxima quęq; humida, tanquam alimenta, abſumi; iſtis verò abſumptis, alia debere, quamuis remotiora ſuccedere, & pariter ad nutrimentum allici? eis enim iugiter affluentibus viget calor; ſubductis verò marceſcit, ac extinguitur. quare quouſque humorum copia in corpore ſit exhauſta, eos non ceſſat calor ſucceſſione quadam attrahere, tantùm ſe ad diſtantia porrigens, quantùm proprię vires ferunt.

P Fabius Pacius 4. methodi cap. 4.

Calor nō attrahit per ſe.

Sed adhùc debent & nobis iſti ſic ſentiētes, enarrare, quamobrem primus calidorum ignis, patentiū camporum ęquoribus ſuccenſus longè, latèq; omnia vorans, ac ſe ſe fundens, ne leuiſſimam quidem ſtipulam, vel humoris guttulam trahere videatur? quid? quòd & hoc certiore caloris opere comprobatur? etenim illius perpetua ſoboles eſt tenuitas, qua dum omnia ſurſum per leuitatem extollit, ad ſe nequit attrahere: quippe nihil poterit ab eodem diuerſis ſimul motibus agitari. hęc omnium optimè noſcunt ij, qui vt ſuauitates odorum, qui afflantur è floribus, ſimul cum aquis eliciant, ac exhauriant, legunt flores, ſtillatoriam in fornaculam immittunt, ſubdunt ignem; nec ſanè verentur, ne extracta vaporum vniuerſitas ab igne trahatur; ſed potiùs, ne volucris, & ſurſum incitata ſe ſe fundat. quare fornaculam apto concludunt operculo, & in aquas colligunt relabentes halitus. Sic ſemper ignis ſummus calor extollit potiùs omnia, quàm ad ſe trahat. Dum verò ichores arefactę venulę attrahūt, quamuis, vt priſtinam ſibi reſtituant humiditatem,

Caloris propriū eſt extenuare. Calor extenuando materias eleuat. Odorū ſuauitates è floribus eliciēdi modus.

Venulæ arefactæ quomodo ichores attrahāt.

ad id excitentur; non tamen caloris opera;ſed ſuarum fibrarum miniſterio hoc munus abſoluunt,qua induſtria ſolent etiam familiaria alimenta attrahere, quemadmodum proprio loco enarrabimus;ita vt potiùs in his venulis calor humiditatem exhauſerit,non alliciat. Calorem deinde ad ſe ipſum humores conuertere nec alimenti neceſſitas vrget: nō enim calida qualitas eſt, ſed animata ſubſtantia, quę humoribus,ſibi tamen conuenientibus,certòq; vt dicemus,modo ſuppeditatis,vel attractis alitur; at qualitas illa nullius indigens alimenti,non in noſtro dumtaxat corpore,ſed in omnibus pariter alijs cò vſque perſeuerat, quò à ſibi contraria qualitate perdatur; quemadmodum inanimata omnia poterunt pleniſſimè atteſtari,quę,dum ſimilem viuentium qualitati calorem obtinent, nullo prorſus indigent alimento. in viuentibus autem calor inſtrumentum attrahendi dicitur,non cauſſa.

Membra nō per calorem attrahunt.

Repercutientis deniq; frigoris argumentum attrahentem calorem haud facilè ſuadebit, niſi & modum, quo frigus repercutiat, deſignemus: ſic etenim contrario indè modo calorem attrahere,contrariorum lege inferentes, argumentum ſimul,ac veritatis ſenſa enodabimus. An ergo frigus inſita quadam vi, ſibiq; propria repercutiet, atque repellet? Sed ſi hęc actio ad ᵃ motionum genera pertinet,quis eam frigori propriè tribuet,cuius opera etiam quę mouentur hęrent, omnia torpent, & tanquam immobilia feriantur? An quadam contrarietatis ſpecie mota,frigoris aſpectum fugientia, per antiperiſtaſis,vt aiunt,modū repelli aſſeremus? Sed vel modus hic videbitur commentitius, atque

Frigus quomodo repercutiat.

Frigus per ſe nō repercutit.

ᵃ Ex Ariſt. 7. phyſ. tex. 10.

Frigus non repercutit p modū antiperiſtaſis.

futilis

futilis in frigore prçſertim,quod etiam frigida, ſibi nulla ex parte contraria repellit, vel omnibus contrarijs communis, non frigori præcipuus; etenim eodem nomine calor etiam ipſe poſſet repercutere; cum non minùs calori frigus,quàm calor frigori aduerſetur; nullum verò è medicis hucuſque licuit mihi offendere, qui ad humores, vel frigidiſſimos, repellendos caloris operam adhibuerit. Quare omnibus hiſce modis excluſis per vnam concretionem frigus repercutere haud temerè eſt credendum: ea enim liquores,veluti compedibus,vinciuntur, concluduntur ſemitæ,arctantur viæ,& influentium conceptacula,tanquã clauibus,obſerantur,quibus omnibus feruet repercuſſio. Nec mirum,quando eadẽ concretio ventris calorem arctiùs per hyemem continens tuetur,augètque; vapores ex aeris non infima regione demittit; ſummum terræ,& aquç frigus emollit; rapidiſſimos fluminum impetus remoratur; omnia denique cogit.

Frigus per concretionẽ repercutit.

Concretionis vires.

En autem poterit iam quilibet ex repercutientis frigoris modo modum, quo calor attrahit, planè colligere: quando enim frigus concretione repellit, calor liquefaciendo debet (vt aduerſa contrarijs referantur) attrahere: quippe volubiliter ſic dilatantur,& latiùs ſe ſe fundunt humores, reſerantur anguſtiç, ſuperantur impedimenta, omnia patent,& quemadmodum hæret aqua conglaciata frigoribus, ita calore liquata labitur, & in patentes aditus deuoluitur; vt princeps modus, quo calor attrahit liquefaciendo conſiſtat: liquata enim vi caloris humiditas, & ad calidas partes pondere ſuo fortaſſe dilabens,illhùc videtur caloris opera attrahi,cum

Calor quomodo attrahat.

Calor attrahit liquefaciendo.

re vera ſolum ab eo liquefacta, illhùc deinde ſuopte nutu accurrat; & vt inquit veritatis perſcrutator acerrimus [r] Sanctus Thomas, calor quia per ſe tantùm alterat, loco mouere per accidens tantùm poteſt. Sic inflammatę partes dum proximas liquatas materias, & ad illud loci decumbentes recipiunt, trahunt, vt inquit [ſ] Hippocrates, quę influunt. Sic calore non modò eo, qui in Tapſia viget, ſed etiam in omnibus, concitantur, vt inquit [t] Galenus, fluxiones, dum eius opera liqueſcẽtes humores, vijsq; ampliùs reſeratis, ſuo quaſi pondere incitati feruntur, & quò ipſe calor viam parat, excurrunt: quæ enim coguntur, inquit [u] Ariſtoteles, atq; funduntur, loco mutari neceſſe eſt; vt omnino mirum fortaſſe videri nõ debeat, quod ex ipſe inſinuat [x] Ariſtoteles, raritatem, & denſitatem omnium eſſe principia; quin cum motiones quaſcunque dignitate quadam localis motio antecedat; hanc autem raritas, quæ in fuſione, & denſitas, quę eſt in concretione, parturiunt, iàm fuſio, atque concretio non efficacitate modò; ſed dignitate etiã omnibus longè præſtabunt, vt indè hanc, quę frigoris ſoboles eſt, poſſe repellere, illam, quæ partus eſt caloris, attrahere poſſe comprobemus. Vbi verò ea calore tentantur, quæ tam arctè inſita materia continet, ac amplexatur, vt liquefieri, dilabique prohibeat, tunc hæc extenuata ſolùm ſublime feruntur, eoque nomine ſurſum elata, videntur ad ſuperiores partes attracta; cum propria, à calore tamen inducta, leuitate aſcenderint. Sic terræ halitus, & expirationes Solis calor extollere dicitur, cum extenuare tantùm

dici

r S. Tho. de motu cordis opuſc. 35. cap. 83.

ſ Hipp. 4. de ratione victus i acutis tex. 27.

t Gal. 2. de differ. febr. cap. 11.

u Ariſt. 8. phyſ. tex. 55.

x Ariſt. ibid.

Inflammatæ partes quomodo attrahant.

Calida medicamenta, vt fluxionem concitent.

Raritas, & denſitas quo pacto dicantur ex Ariſtotele omnium eſſe principia.

Quæ liquari non poſſunt quo pacto dicantur attrahi à calore.

Ignis quæ ratione ab igne trahatur.

dici debeat. Sic tenuem, & exiguum, vt inquit [z] Ariſtoteles, ignem copioſior ad ſe trahit; eodéq; tandem modo id genus plurima poſſunt, additis in tenuitate alis, efferri. At ſi materia tandem occurrat, quæ non liquefieri, non extenuari caloris opera poſſit, tunc, vt ab his muneribus, ita ab attrahendo calor feriatur, & conquieſcit.

z Ariſt. 1. ſect. problematũ problem. 57. & 58. necnõ lib. de vita, & morte, cap. 3.

Quid materiam in pluuias, aliàq; conſimilia relabentem, ſurſum rapiat.

EXERCITATIO VI.

AD reliquas attrahentium cauſſas longè, latèque perquirendas mea dum feſtinat oratio, nollem equidem, & illud in me conuenire, quod in [a] Thaletem ancillula, in philoſophos iecit Socrates, eos ſcilicet in his, quæ ad remotas, vel abditas mundi regiones pertinent, perſcrutandis omnes induſtriæ neruos contendere; ad ea verò, quæ proxima ſunt, & ante oculos obuerſantur, non modò animum nunquam appellere; ſed ne tantulùm applicare. quare non mirum ſi cœlo intentus Thales, in foueam incidens, ab ea ancillula arguatur, quaſi quæ in cœlo ſunt peruidere contendat, quę verò ad pedes non videat. Hoc ne ego pariter conuicio iactarer, in eis hodie verſari decreui, quę nobis proxima, & planè vulgaria, quotidie ante oculos obſeruantur, eòq; libentiùs, quò hæc eadem humi-

a Ex Diog. Laertio lib. 1. in vita Thaletis, & Platone i Theætето.

Socratis in philoſophos conuicium.

Thales ab ancillula argutus.

Digitized by Google

humiliorẽ, vt pote frequentia, exigunt apparatum; minùs, quippe vulgaria, vrgebunt intelligentiam, leuiùs fatigabunt ingenium, paritèrque è ſcopuloſis quandoque cotibus emerget oratio.

Vulgare argumentum quę cōmoda afferat.

b Virgilius Egloga 4.

[b] *Sic aliquos arbuſta iuuant, humilèſque Myricæ.*

Quænam verò tam leuis de attractione difficultas, quis adeò tenuis ſcrupulus, qui acriora non iactet ingenia, difficillima quæque argumenta non ſuperet? Sed ingenium ſaltem hodie argumenti frequentia recreabit, rei magnitudinem, vt inquit [c] Seneca, conſuetudo ſubducet; quid verò frequentius, atq; communius, quàm ita aerem hunc, quem nunquam non intuemur, aquis obrui, vt iucundiſſimo etiam cęli aſpectu careamus? tot adeòque ingentes aquarum ſæpe gurgites ibi redundant, vt non modò videantur ea regione ingentia flumina ſpatiari; ſed vel omnes etiam aquarum vniuerſitates attractæ, vel cęlum ipſum conuerſum in aquam, &, vt inquit [d] Pontanus.

c Seneca lib. 7. quæſtionum natur. cap. 1.

Vulgaris eſt pluuiarum ortus.

d Pontanus in Vrania.

Interdum rapidos amnes eſt cernere paſſim
Diffluere, ac totum in pluuias deſcendere cęlum.
Tantus in aereo ſe ſe globus orbe coegit.

Id ipſum clariſſima vetuſtatis monumenta teſtãtur, quibus tantam legimus, ex aere aquarum copiã aliquando collectam, vt eæ non vrbem modò, ſed etiam vniuerſum ferè orbem inundarint; atque ea interim poſthabita regione, [e] quę ſola terrarum videtur vices temporum non nouiſſe, nec aliud è cęlo accipere, quàm hyemem ſempiternam; repetamus [f] vrbem Ninam, Aſſiriorum imperij principem, continuis imbribus mirum in modum exundante fluuio dirutam, & euerſam. relegamus pariter eluuio-

e Solinus in Polyhiſtor. cap. 10.

f Diodor Siculus de geſtis antiquorũ lib 3. in fine.

Regio continuis pluuiis obnoxia.

Ninæ vrbis ruina ex imbribus.

Eluuio Græciæ.

Curâ Deucalione humanũ genus reconditum dicatur.

Ingens pluuia circa Byzantiũ, atq; Bithyniam.

Roma compẽdiũ orbis, & memorabilium exemplorũ exemplar.

Romę ſępiſſimè inundationes.

Tibris inundatio.

Plato eluuiones neceſſariò ſucceſſuras exiſtimauit.

g eluuionem illam, Athenis regnante Amphytrione, mirandam, quę maiorem Græcię regionem prope euulſit, illique hominum fuere ſuperſtites, qui vel ad montium refugia properarunt, vel ad Theſſalię regem Deucalionẽ ratibus ſunt deuecti; vt hoc nomine, eius regis opera humanum genus reconditum effingatur. Vel, ſi hęc remotiora videantur, h propior erit ingens ea pluuia circa Byzantium, atque Bithyniam, qua ad plures dies aquę fluuiorũ inſtar dilapſę, pluribus obrutis pagis, montes in æquatam ſolo planitiem ſumma violentia depreſſerunt. Sed quid adhuc, vbi noſtratia ſuppetunt, aliena exempla peruoluo? inducatur vrbs, non totius tantùm orbis, vt inquit [i] ille, compendium; ſed omnium quoque memorabilium exemplorum exemplar, Roma inquam, [k] quæ ſuas ex imbrium eluuionibus ortas eluuiones poterit enarrare. loquatur de his etiam vndarum triumphis Capitoliũ; loquantur ampla illa, Romanæ Maieſtatis ſimulachra, ędificia, non ſolùm ex igne, ſed ex aquis etiã diruta, & euerſa; loquatur Tibris, qui tonitruum ſonitu, tanquam timpanorum pulſu, è conſcriptis imbrium copijs vndarum acie inſtructa, ſpumarum explicato vexillo, ventorum irruptione prę̨miſſa, quaſi bellicum aquarum fragore primùm cecinit, hinc ſeptis aggeribùſque diſruptis inundare rura, euellere ſyluas, vaſtare agros, affundere vicos, deijcere propugnacula, euertere muros, vniuerſam vrbem populari, omnia aquis obruere. vel ſi hęc omnia obmuteſcant; loquatur [l] Plato, qui toties hac ratione eluuiones accidiſſe commemorat, ac neceſſariò ſucceſſuras exiſtimat; loquatur [m] Ariſtoteles

g Iuſtin. hiſtoricus lib. 2. & Paulus O. oſius lib. 1. cap. 9.

h Nicephorus lib. 15. hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 20.

i Atheneus dipnoſophiſtar. lib. 1. cap. 15.

k T. Liu. 2. belli punici lib. 4. de bello Macedon. lib. 5. Dion lib. 37. hiſt. Rom. Tacit. lib. 1. annal. & Petr. Crinit. de honeſta diſciplina lib. 20. c. 3.

l Plato in Timeo.

m Ariſt. 14. ſ ct. problẽ. problemate 15.

n Seneca lib. 3. queſtionum natur. circa finem.

Ariſtoteles frigidis in locis facilè diluuia fieri dixit.

Seneca futurum vniuerſale orbis diluuium ex imbribus credidit.

Hyemis vis, atque conditio.

ſtoteles frigidis locis inſipientiam ſimul, atque diluuia minitans; loquatur [n] Seneca vniuerſale totius orbis diluuium etiam ex irruente imbrium copia ſucceſſurum affirmans; & ſi horum omnium concors ſenſus non videatur fore grauiſſimo teſtimonio; ecce tibi hyems, quæ non modò hæc omnia poterit planè, plenèque referre, ſed porrò excitare, & ante oculos conſtituere; hyems inquam, quę dum pro veſtibus tenebras pro crinibus niues, pro fletu pluuias, aſpectu triſtis, rigente corpore, cęnoſis, ac lutulentis cothurnis, lubrico pede quotannis in tragicum quaſi quodam proſcenium inducitur, tãtum habet imperij, vt mare propria ſede diuellat, cęlum aquis obruat, terram immodicis imbribus inundet, omnia eluuionibus opprimat; quæ verò vis vel hyemis, vel alterius ſit, qua tãta aquarũ moles ad aerẽ attrahatur, noſtri erit cõſilij perſcrutari.

o Ex Gal. de hiſt. philoſ. c. de nubib. hác opinionem videtur nouiſſimè ſequutus Ioannes Bapt. ſta Porta lib. 2. de aeris trãſmutationib. cap. 3.

Pluuiarũ ortus ex antiquis, quos ſequutus videtur Porta.

Pluuiarum materia non ex aere.

Cuius rei difficultatem veteres fortaſſe [o] philoſophi olfacientes, vt eius etiam vim effugerent, non è terris eam materiam excitatam, ſed compactam ex aere voluerũt, atq; ita conuerſum in aquã aerẽ, ſuo deinde pondere compreſſum relabi in pluuias. Nos vero, etſi ab aere aquæ formam indui poſſe minimè inficiemur; ea tamen, è qua pluuias recipimus regione, tam fuſa, tam libera, & nunquam exhauſta nihil, quod, in aquam cogere poſſit aerem, comprehendimus, ſi etenim mediam ſpectes aeris regionem, ſemper algidam, perpetua deberes hyeme, ſemper pluuias experiri; vel quis hyemali prę ſertim tempeſtate, nec Solis modò calore, ſed lumine etiam tabeſcente, conſumptum in immodicas pluuias aerem reparat; vel pari illa ſemper mole conſer-

conſeruat, vt nec tot imbribus diminutum, nec denuò, atque confeſtim genitum videamus? quid? quod ſenſus quodammodo ipſi pluuiarum materiā ex infernis hiſce corporibus excitari videntur aduertere? quibus autem viribus efferatur, adhuc videtur incertum.

Ariſtophanis de nubibus fabella.

Neque verò eas, quas confinxit [p] Ariſtophanes, nebulas nos pariter inducemus, eàſque, tanquam Deas, imbres, aliàque huius generis moliri cum eodem impiè ſuſtinebimus: hoc enim quamuis concedi poſſet comico, falſa plerumque iactanti, & ad Socratis conuicium, non ad veritatem ſpectanti, quis tamen in veritatis amatore philoſopho aniles has fabulas, rudiùmque impolita figmenta pateretur? vel quis adeò obtuſus erit, ac hebes, vt apud eundē [q] Ariſtophanem Strepſiades, quin his repugnet, ſed aſſentiat, ſibique tot mera monſtra poterit ſuadere? procul obſecro vos, procul noſtrò è conſeſſu monſtroſa hęc deliramenta inanium auertantur, inſanientium hęc ſomnia ablegentur.

[p] Ariſtoph. in nubibus.

[q] Ariſtoph. ibidem.

Imbres muneribus, atq; cantibus attrahi, vel repelli credidit antiquitas.

Minùs impiè, quamuis non minùs falsè, rudis antiquitas muneribus, vt refert [r] Seneca, atq; cantibus imbres, aliàque conſimilia attrahi, repellique poſſe arbitrabatur. quare Cleonæ, inquit Seneca, animaduertebant in illos, quibus delegata erat cura prouidendę tempeſtatis, quòd negligentia eorum vineę vapulaſſent, aut ſegetes decidiſſent; quippe ijs artibus pręmiſſis nubes auerti, inſtantes arceri pluuias, omnèſque repelli tempeſtates, vt cantibus attrahi, opinabantur. Sed hęc tametſi referri quidē deceat, atq; debeant, refelli tamen (adeò vilia ſunt, & inepta) orationis vetat auctoritas, &, vt loquitur

[r] Seneca lib. 4. quæſtione natur. cap. 6. & 7.

idem auctor, nihil eorum fieri poſſe tam palam eſt, vt huius rei cauſſa nullius philoſophi ratio exquirenda: quamuis enim neminem non placent munera; nihil non obtineant, paritèrque muſica poſſit omnia miro quodam imperio permulcere; quid tamen aquis cum muneribus, atque cantibus commune? quid lyra Calanticę? quid pluuijs cum longis tibijs? adeò ſęua, ſensùſque expertia eius generis omnia ſunt, vt, (quemadmodum loquitur [f] Cicero) res nulla feras poſſit mulcere procellas.

f Cic. in Arato.

Vt verò ad ſeria, & philoſophi munere digna cõuertatur oratio, ſolicitat me communis, omniùmq; ore peruagata in hac difficultate ſententia, mèque videtur circa rerum inania verſantem, nec ad ſolida properantem non iniuria increpare; ego verò quamuis fortaſſe poſſem excuſatione calumniam coercere, timeo tamen, ne [t] eius corui pœna in me etiam renouetur, qui ad hauriendam aquam ab Apolline miſſus, fortè in ficum acerbis onuſtam pomis incidit, eiſque fruſtra tentatis, arbori inſidens fructuũ maturitatem expectauit; inde verò tardè regreſſus ad dominum, audènſque moram excuſare, ingenti ſiti quotannis temeritatis ſimul, & ſceleris pœnam luit. Sic & pęnam ego verens, excuſatione poſthabita, lubèns venio ad eius, quę me excuſſit, ſententię cauſſam referendam.

t Ex Ouid 2. faſtorum.

Corui pœna, ac fabula.

Credunt itaque Peripatetici (eiſque ſic credentibus omnes planè aſſentiuntur) aquam, vel vbique terrarum diffuſam, vel congregatam in maria Solis opera incaleſcere, extenuari, & verti denique in vapores, qui leues cum ſint, ſe ſe ex aqua facillimè expediunt, eiuſdèmq; caloris opera ad certã quandam

Peripateticorum, atq; cõmunis de pluuiarũ ortu ſententia.

Digitized by Google

dam aeris regionem ſe ſe eleuant; ibi verò,vel loci frigore, vel conſimili ratione concreſcentes, aquæ molem,formàmque reſumunt,qua deinde inſtante, aerèmque opprimente relabuntur in terram,atque ita imbres illos cœteràq; eiuſdem generis afferunt. Hæc igitur eſt,quę me ad ſolida ſolicitabat ſententia; ſed qñ prouocatus ab ea ſum, libenter in eius cauſſæ arcem inuadam,mèque pariter ea calumnia liberabo. Hæccine ſolida eſt,&quaſi vna veritatem contineret, alienis ingenijs infeſta ſententia? hæccine ſententia eſt nullius diſcordia celębris, omniũ conſenſu plauſibilis, & arduã alioqui litem ſolo veritatis apparatu conciliãs? Sed me nec his plauſibus concitatum, nec tibi ſubſcriptum, tuis viribus poſt hac tribues,&quamuis vnus,omnibus fortaſſe tuam inanitatem aperiam. At ne larua, vt aiunt, leonem terrere videamur, vtque faciliùs,poſitis rumoribus, ratio expendatur,vos meę cauſſę Iudices conſtituo Academici. Primùm verò ponite quęſo ex vna parte vobis ante oculos vaporem eum,quem Solis opera iſti iactant excitatum ab aqua; ex altera verò animo concipite aerem hunc,qui nobiſcum, vt inquit [u] Cicero, videt, nobiſcum audit, nobiſcum ſonat. vtrum obſecro vos, creditis leuiorem, ſeq́ue poſſę altiùs eleuare? illum cernitis natura aquam,qualitate vdum,mole craſſum,corpore ſubdenſum,aſpectu caliginoſum; hunc verò ſcitis igni natura non valde diſparem,ſede finitimum, qualitate proximum, ſubſtantia tenuem, corpore rarum, aſpectu perſpicuum,adeòque omni ex parte purum, vt ipſiuſmet vaporis commiſtione craſſeſcat, atque turbetur. quid plura? iam vos apertè video aeri plaudentes,

Peripateticorum opinio de pluuiarum ortu impugnatur

Aeris cũ vapore collatio.

Vaporis cõditiones.

Aeris propria.

Aer vapore leuior.

[u] Cicero 2. de natura Deor.

I 2 pal-

palmàmque leuitatis illi vltrò concedere. at quãdo vapore leuior cenſetur aer; quis deinceps credet, vaporem ad elatam eam aeris regionem poſſe, aere ſuperato, aſcendere? cõſiſtet potiùs ſupra vaporem vniuerſus aer, ipſumquè veluti grauiorem meritò conculcabit: hoc enim naturæ poſcit imperium, hoc exigit vtriuſque conditio; cùmque ſupra aerem nequeat vapor, vtpote grauior, aſcendere, quomodo poterit ea ratione ad imbres excitandos efferri? tãtum incredibilis, & abſurdi ea ſententia habet, quæ omnibus primùm videbatur plauſibilis, atq; certa. Sed Ariſtotelem prædicant eius ſententiæ auctorẽ. profectò ſi Ariſtotelis dicta acriùs, nec latiore ſpecie, ſed ad tenue elimata perpenderentur, nulla nos à veritate intelligenda difficultas auerteret, nullus ſcrupulus retardaret; idque, vt iſtis etiam, qui ſe ex Ariſtotelis familia iactant, oſtendamus, hoc vno duce huius rei veritatem reuelabimus, omnem nodum abſoluemus.

Nequit vapor per ſe ſup à aerem eleuari.

Porrò nõ vna, inquit [x] Ariſtoteles, ſed duę exhalationes ſunt, quæ ab his inferioribus Solis calore excitantur, vaporis altera, altera veluti fumi naturã obtinens, illa humidior, atque grauior, hæc calidior, atque leuior, illa, vt [z] inquit alibi, potentia aqua, hæc potentia ignis. quare illa nequit, vt ſupra dicebamus, ſe ſe ad aeris regionẽ efferre, hæc facilè poteſt, vel ſupremam ſuperare; vt verò quò ſerpat hoc genus argumenti attendamus, attendere eiuſdem auctoris animaduerſionem oportet, qua vtramque eam expirationem notat, non ſolitariam, ſed coniunctam, ſociatàmque cum altera ſemper excitari, quamuis vtra alteram ſæpe exuperet. quare eſt inquit,

[x] Ariſt. 1. meteor. ſumma 2. cap. 1. & lib. 2. ſumma 2. cap. 1.

[z] Ariſt. 2. meteor. ſumma 3. cap. 4.

Exhalationes duæ ab inferioribus excitantur, illarùmque differentia.

Nunquam vapor ſine ignea exhalatione effertur.

Digitized by Google

[aa] inquit, neque humida ſine ſicca, neque ſicca ſine humida; ſed omnia hęc ex eo, quod excedit, dicuntur; idque nubes porro confirmant, quę etſi ab ignea, vt dicemus, expiratione ſeparatæ, adhuc tamen eius aliquas particulas afferuant; vndè nunquam fere non coruſcant fulgure, rarò nõ quatiuntur tonitru: quippe in nube, vt [bb] loquitur idem auctor, adhuc ineſt multum calidum, reſiduũ ignis, qui euaporare fecit ex terra humidum; cauſſam verò eiuſdem commiſtionis potes nõ difficulter adijcere: nihil enim, vt inquit [cc] Plato, ſublunari hoc orbe ſimplex, atque purum continetur; ſed omnia omnibus aliqua ex parte commiſta; ita vt non aqua, ſed aqueum, non terra, ſed terreum ex [dd] Ariſtotele reperiantur; vt verò ambæ illæ exhalationes è ſubiectis corporibus expirarunt, ea, quæ grauior dicitur, quamuis deberet proprio pondere contineri; quia tamen admiſta leuiori eſt, ad aerem ſimul (quod in relata ea opinione fieri non poterat) effertur, & attollitur: hęc enim dum propria leuitate aſcendit, velut onus (vt ad hanc rem loquitur [ee] Ariſtoteles) illam portans eleuat: ita vt quò ſuapte natura contendere non valebat, alienis viribus efferatur; quo pacto lapides etiam ad ſupremum aerem eleuatos, præter [ff] Ariſtotelem, [gg] hiſtorię atteſtantur. At vbi fumoſa ea exhalatio à vapore diſiungitur, vel eum nequit altiùs eleuare, tũc eius aſcenſus duce deſtitutus vapor hæret, atq; ſubſiſtit; locique tandem frigore concreſcens, rurſus aquæ ſpeciem induit, propriàque mole labitur in pluuias. Hoc modo per vapores aquæ; ij verò fumidę eius exhalationis viribus attolluntur, eàque eleuatione

ad

Cur ex nube fulgura, & tonitrua.

Nihil ſub Luna ſimplex, atque purum.

Vaporem ſupra aere efferi ignea exhalatio.

Lapides ſurſum quo pacto efferantur.

Vapor ab exhalatione feiũctus, cõſiſtit, nec vlteriùs eleuatur.

Propria auctoris de pluuiarũ ortu ſententia.

aa Ariſt. 2. meteor. ſumma 2. cap. 4.

bb Ariſt. 1. meteor. ſumma 3. cap. 1.

cc Plato in Philebo.

dd Ariſt. 2. de gener. & corr. tex. 20.

ee Ariſt. 1. meteor. ſumma 3. cap. 1.

ff Ariſt. 1. meteor. ſumma 2 cap. 4.

gg Tit. Liu. decade 3. lib. 7. Plin. lib. 31. cap. 1. & Plutarc. in vita Liſandri.

Digitized by Google

ad ingentem molem continuata, imbrium illæ, quas initio dicebamus, immenſitates relabuntur: oportet enim intelligere inquit [hh] Ariſtoteles, veluti fluuium eſſe, ſurſum, atque deorſum circulariter fluentem, earum ſcilicet exhalationum aſcendentium, & aquarum inde delabentium; eùmq; fortaſſe fluuium eſſe, quem circa terram circulariter fluentē Oceanum dixit [ii] antiquitas, poſſumus, & nos cum eodem auctore coniectare.

hh Ariſt. 1. meteor. ſumma 3. cap. 1.

Fluuius ſurſum, atque deorſũ circulariter fluēs.

ii Hom. Iliad. ξ & Odiſs. M.

Oceanus circulariter circa terram fluēs ex antiquis.

Eundem aſcendentis aquæ modum Ariſtotelem præterea deſignaſſe pluribus locis inſinuata eius verba declarant; manente, [kk] inquit aliquando, ,, terra, quod circa ipſam eſt humidum à radijs, & ,, ab alia, quę deſuper eſt caliditate euaporans fer- ,, tur ſurſum; cum autem caliditas, quę duxit ipſum ,, ſurſum, derelinquit, & illa quidem diſperditur ad ,, ſuperiorem locum, hęc autem & extinguitur: ,, propterea quod ſuſpēditur longiùs in aerem, qui ,, eſt ſuper terram, cogitur iterum vapor infrigida- ,, tus, & propter derelictionem caloris, & propter ,, locum, & fit aqua ex aere; facta autem iterum fertur ad terram. rurſus aſſerit [ll] deinde, vapores, qui in rorem, atque pruinam vertuntur, non multũ eleuari propter paucitatem ipſos ducētis ignis; quin vaporē ea ratione calidiorem aqua concludit, quia hic eleuantem adhuc habet ignem; vt non modò videatur noſter hic modus ab Ariſtotelis doctrina mutuatus; ſed clariſſimè eius etiam verbis deſcriptus. Nequicquam verò hic me morabitur [mm] Agricola, contra Ariſtotelem contendens, non calorem Solis, ſed eius, qui terrę viſceribus abditus eſt, eas expirationes excitari: quamuis enim eum calorem,

kk Ariſt. loc. citato cap. 1.

Ariſtoteles noſtræ huius ſentētiæ auctor.

ll Ariſt. ibid.

Malè Ariſtotelem impugnauit Agricola, putans ex terræ, nō Solis, calore vapores excitari.

mm Georg. Agricola de metal. lib. 3. in fine, & lib. 5. de cauſis ſub terr.

vel

vel [nn] Ariſtoteli notiſſimum, & in hoc rerum genere comprobatum, nec equidem inficier; quin etiam vltrò ad huiuſmodi effectus abſoluendos potentiſſimum pollicear; quia tamen vniuerſalior, atque potior è Sole huius rei occaſio deriuat, hinc ad eũ huius generis effecta conuenientiùs reducuntur. Sed quando, hac etiam mora præciſa, ſurſum attracta eſt aqua, expectemus nos pluuias, neq; interim, dum inſtãt pluuiæ, longiùs ranarum more coaxantes, inutiliter obſtrepamus.

[nn] Ariſt. 2. meteor. ſum ma 2. c.p. 1.

Vt flumina ad ſumma montium efferantur.

EXERCITATIO VII.

Elementorũ locus.

QVamuis prima hæc rerum ſemina, quæ elementa dicimus, ſatis quidẽ aptè diſpoſuerit natura, ſingulari quodam artificio proprium cuique circumſcripſerit habitandi locum, ignẽmque, ſublunarium veluti coronam, in ſupremo ipſorum vertice conſtituerit, aerem hinc, deinde aquam, poſtremò terram, omnia omnibus connexa, & iure quodã finitima copulauerit; quoniam tamen munus, cuius cauſſa genita ſunt, explere hac locorum diſtributione non poterant; hinc illa, quaſi eadem natura ſe ipſam reuocans, quodammodo è deſtinatis ſedibus deduxit, in alienas ablegauit. Sic ignem ſunt

Elemẽta proprijs i locis proprias operationes exequi nō poſſunt.

qui

Digitized by Google

a Cardanus 2. de ſubtilit. & Valleſ. de ſacra philoſ. cap. 1.
b Hippocr. lib. de flatib.

a qui credunt, per omnia fuſum permeare,[b] aerẽq; nõ abditum modò terræ cauernulis, ſed intrà aquas etiam eſſe incluſum; eadèmque ratione ad animalium cõmoda ſcimus, terram, & aquam globi vnius ambitu comprehendi, & preter ingenium contineri; cùmque id neque ſatis eſſet, quaſdam eiſdem elementis, vel conceſſit, vel indidit motiones, quæ, licet præter naturam, naturę tamen opera obſecundarent, & omnium fini obſequerentur. tanta eſt naturę de omnibus ſolicitudo, vt nullus modus ſit, quẽ nõ ipſa tẽtarit, nihil ad propria commoda nõ excitauerit. ita ſub luna circumfert ignem, vt eo circuitu ſcintillulę indè diſtrahantur, & non modò calorẽ his inferioribus impartiãt, vt credidit [c] Ariſtoteles; ſed etiam cum eis, quę in aere colliguntur, commiſtę ad ſimplicium corporum miſtionem habeantur: ſecus enim in tam neceſſaria elementorum coitione deſideraretur ignis. ita per expeditos hos campos vagari, & veluti furere voluit aerem, vt hac arte ipſe à putredinis ſuſpicione liber eſſet, ac animãtium corpora quaſi flabello ventilaret; tantùmque ea commotio propria aeris viſa [d] Stoicis eſt, vt illũ animatum, ſeque metipſum progreſſiuo motu deportantem crediderint; tantùm verò vtilem eandẽ putant [e] Scythę, vt per commotum aerem, tanquã per Deum, iurent. Motũ preterea dedit aquis, curſumq; fluminibus, vt & pluribus animantibus longa pererratione vſui forent, ac remotis terrę finibus, ad fœcunditatem, immergerentur. Terram denique veluti tremore concutit, vt prauis ſic excuſſis vaporibus, promptiùs intrà viſcera concipiat, vberiùs germinet. ita nec violenti naturę motus temerè

Elemẽta omnia proprijs e locis dimouentur.

Ignẽ credũt nõnulli per oĩa ſubiũ aeria diffuſum.

Terra, & aqua ad animaliũ cõmodũ vnico globo cõtinentur.

Præternaturales quædã elemẽtorum motiones naturæ etiam operibus vtiles.

Cur ignis ſub luna circumferatur.

Ignis ad miſtionẽ conſtituendam quomodo è proprio loco deſcẽdat.

c Ariſt. 1. meteor. ſumma 1. cap. 4.

Ad quæ cõmoda aer per ventos commoueatur.

d Ex Seneca lib. 5. quæſtio. natural. cap. 5. & 6.
e Ex Lucano i Toxare.

Quæ vtilitas ex aquarum motu.

Quid emolumenti afferat terræmotus.

conci-

Nihil in natura fit ſinè natura. Inter omnia elementa aq a maximè a[illegible] tatur.

concitantur, & quemadmodum dixit [f] Hippocrates, nihil in natura fit ſinè natura. Sed inter tot elementorum agitationes aqua eſt, quę pręter cętera concitatur: rariùs enim reliqua è proprijs ſedibus deturbantur; hęc autem non in imbres tantùm ruitura eleuatur, nec rapitur ſolùm à ſiccis, ſed ad mōtium quoque ſummitates in flumina emerſura, mirabili quadam virtute protrahitur, quod noſtri inſtituti erit hodie explicare.

f Hippocr. lib. de aeribus, aquis, & locis.

Fluuiorum maximi è maximis mōtibus defluūt. Nilus ex Atlante Monte defluit. Phaſis è Caucaſo monte deuoluitur.

Vt autē id planū fiat, nō [g] Ariſtotelis modò ſētētia referēda eſt, qua fluuiorū maximos è maximis fluere mōtibus annotauit; ſed idē quoq; erit ſēſibus cōprobandum. pro quare aſcendite mecū quęſo Academici, celebrem illum montem Atlantem, è cuius faſtigio, cœli culmina ęmulante, Nilum defluere perhibent [h] hiſtorici; vel ſi magis libet, adeamus Caucaſum, è [i] quo Phaſis, aliique ingentes fluuij deuoluuntur. vel ſi vos inſueta viarum longinquitas, & difficultas exterreat, aſcendamus in alium, longè magis familiarem, in Parnaſum inquam, ad cuius faſtigium via vobis notior, atque facilior.

g Ariſt. 1. meteor. ſumma 4. cap. 1.

h Dion Caſſius lib. 75. hiſtor. Rom.

i Ariſt. loco ſupra citato.

Parnaſi ſitus. Ariſtotelis de Parnaſi montis ſitu error. Parnaſi magnitudo.

[k] Mons hic in molli Europę, bonis omnibus vbere, gremio, & propriè in celebri, nec minùs factis, quàm lingua monſtroſa Gręcia, enaſcitur; ita vt nō iniuria mirari debeamus [l] Ariſtotelem, qui Gręcus cum eſſet, Gręcum hunc montem non agnouit, cum in Aſia poſitum retulerit; niſi ipſum de alio Parnaſo loquutum credamus. Circumextendit vix enatus, veluti toti mundo arcem faceret, interminata quadam magnitudine ingentes primùm ambitus, parentem terram immenſis ponderibus opprimit, & propria mole ſuperbiēs intumeſcit, dilatat impe-

k Strabo lib. 9.

l Ariſt. ibid.

rium,occupat omnia; mox veluti ima hęc, & terrena deſpiciens,caput extollit, ſe ſe totum erigit, aerem ſuperat, ſummùmque faſtigium intrà cœleſtes globos abſcondit; ita vt ſi quę ibi ſpatiantur ferę, cœleſtis canis exhorreſcant latratum, formident aſpectum, & quę ſumma per illa iuga circumuolitāt aues muſicum ſpherarum concentum facillimè apprehendant. tanta eſt montis vaſtitas, & altitudo. Nonne quę recenſeo vniuerſa iam conſpicitis qui in hunc montem aſcendiſtis Academici? nonne elatam ſummitatem agnoſcitis, erectùmque ſupercilium? nonne aduertititis quoque quod de hoc monte annotauit [m] Ariſtoteles, eum nempe eſſe maximum omnium, qui ad orientem hyemalē ſpectant, tantàmque eius eſſe altitudinem, vt illis, qui ipſum traſcenderint, appareat mare, quod extra eſt, cuius terminus non palam fit his, qui hinc? Sed cum eodem [n] Ariſtotele conſpicite nunc ſummo hoc monte ingentes fluuios exoriri. agnoſcite exurgentem Bactrum, enatum Choaſpem, & iam creſcentem Araxem. videte Tanaim, Indum, pluréſque fluuios alios pręcipites inter ſaxa deuolui, & dicite quęſo nunc, ante quàm deſcendatis è monte, quęnam virtus ea ſit, quę tantam, tàmque perennem aquarum copiam ad tam elatum montis faſtigium attrahat, ac attollat?

[m] Ariſt. ibidem.

[n] Ariſt. ibid.

Parnaſi altitudo ex Ariſtotele.

Flumina ex Parnaſo orientia.

Ardua quidem hęc, eòque ſępiùs quęſita difficultas, quò magis clariſſimorum virorum ingenia torſit: vt enim Ariſtotelē pręteream, cuius mos arduas difficultates, vel ſilētio, vel verborum anfractu ſubterfugiendi, hùc quoque reuocatur, cum ſcopuloſo de hac re loco non leuiter [o] verſatus, nihil certi aperuerit;

Ariſtoteles de fluminū ad ſummos montes eleuatione, nihil certi aperuit.

[o] Ariſt. ibid.

Aliorum de eadē eleuatione ſententia.

peruerit; clariſſimi prçterea viri ſunt, qui adeò huius rei difficultate preſſi videntur, vt obedientem cçleſtibus orbibus aquam ad ſummos montiū vertices, quò ſtirpes humoris hauſtu alantur, attrahi voluerint; quaſi difficilia quçque hac vna, eadèmq; ratione non poſſent pariter expediri, vel quaſi ad omnes montes, qui & cçlorum ambitu continētur, & feraces ſunt, flumina efferantur.

Attractionē nonnulli in mōtibus, nō ſecus, ac in ſpongijs poſuerunt.

Vel ſi velimus quod innuit [p] Ariſtoteles, vt [q] doctiſſimis viris placuit amplexari, montoſa hçc, & exaggerata faſtigia veluti ſpongias ſuſpenſa aquç humiditatem attrahere fingamus oportet: hac enim ratione maximi inquit, fluuiorum è maximis videntur fluere montibus; quin rurſus ob attrahentem eandem vim montibus inſitam, plantas in eis vberiùs naſci [r] affirmauit. Sed in cauſſa hoc quidem eſt, vt inter attrahentium genera hunc euentū colligamus; non autem vt in eo, alijs non tentatis, acquieſcamus; cum ne ſpongiç quidem ipſç attractas aquas eo impetu, profusìsque ſcatebris remittant.

[p] Ariſt. ibid.
[q] Colleg. Conimbric. i lib. meteor. tract. 9. c. 5.
[r] Ariſt. 2. de plantis c. 1.

Non attrahunt aquas montes ad modū ſpongiarum.

Platonis opinio de ortu fluminum è montibus.

Nec eis, quç ex Ariſtotele collegimus, probabiliora, magiſq; veritati conſona Platonis elaborauit induſtria, vel excogitauit ingenium; quin etiam eò hic difficilius credibilia, quò à ſenſibus remotiora commentus: [ſ] etenim barathrum illud, ſiue aquarum omnium, terrç finibus collectam, vniuerſitatem, vt fluminum, cunctorùmque fontium fontem credidit, ita ipſius quodam fluctu eleuari flumina arbitratur; quòd autem inquit, hinc effluant omnia, rursùſque refluant, hçc eſt cauſſa, quòd hic humor nec fundum habeat, nec fundamentum; itàque eleuatur, & ſurſùm, deorsùmque fluctuat. Id

[ſ] Plato in Phedone.

K 2 verò

Platonis opinio de ortu fluminum è mõtibus reprobatur.

verò quàm ſit à ſenſibus alienum nullus non poterit, vel ipſo ſenſu iudice, diſcernere: quis enim ſinè fundamento eſſe eum humorem aſſentietur, qui firmiſſimę omnium baſi, terrę inquam, innixus incumbit? quin etiam nemo eſt, quin eadem commotione, qua humor effertur, eundem penitùs demergi poſſe exiſtimet; cum mare ipſum pariter fluctuans, alternis motibus nunc attolli, nunc deprimi videamus.

Quid ergo dum ruit tanta in rerum difficultate antiquitas, poſteritati hęrebimus, aſſentiemur? vtinam firmum aliquod hæc exponeret, quo recrearetur ingenium. Sed apud hanc etiam hęret aqua.

Montes ad animalium modũ humidas ſuperfluitates reijcere quidam dixerunt.

[t] Quidam enim neſcio quam comminiſcentes vocatam Metamorphiſin, montem in animal transformarunt, venàſque in eo effingentes, aquarum fontes, velut lotia, emanare, expellique voluerunt. qua in re, vt pari cum eis loquuntur licentia,[u] qui alentis animæ miniſteria montibus tribuerunt, ita etiã eius opinionis ſubeunt incommoda, omnèſque pariter deberent effectum illum ſibi ſimile generandi,[x] cuique viuenti proprium, in montibus explicare, vt hos montium partus nos quoque agnoſcere poſſemus.

Montes animatos q. dicunt, quę incõmoda patiantur.

Vel quis concepta intrà montem, ſeù potiùs intrà aquam exhalatione, aquam ipſam ebullire, ebullientèmque proſilire,[y] cum alijs audebit aſſerere, omnìſque ſenſus, & rationis immemor non aduertet, eo impetu elatam aquam ſummè ſaltem calefactam, niſi feruidam ſcaturire oportere? quin copioſiorem ſemper æſtate, quàm hyeme: ita enim quoſdam[z] referunt fontes hyemali tempore, inter maxi-

Ab exhalatione aquã ad mõtes efferri, malè dixerũt alij.

t Ex Seneca lib. 3. natural. quæſt. c. 15.

u Cardan. lib. 7. de ſubtilit. videtur hãc opinionem probare dũ mõtes è lapidibus, & lapides facit animatos

x Ariſt. 2. de anima text. 34.

y Alber. lib. 2. meteor. tract. 2. c. 12.

Fluuij quidã æſtate abũdãt, hyeme verò ſiccisſimi.

maximos imbrium defluxus, tabeſcentium niuium collapſus, ipsámq; tempeſtatem aquarum eſiccari; quando ijdem ęſtate inter ardentiſſimos Solis radios, terrámq; aridam, ſuperfluente aqua luxuriãt: tunc enim abundans ea calida exhalatio, profunda, vt inquit [aa] Galenus, aquarum effert; quod & in omnibus fluuis eueniret, ſi exhalatione omnes eleuarentur.

z Seneca 3. natur. quęſt. c. 26 & Plin. lib. 31. c. 4.

aa Gal. lib. de bonit. aquæ cap. 3.

Non efferuntur flumina ad montes à ventis.

Si verò exhalatione hoc argumento, ſublata ſensùque compreſſa, ad excurrentem intrà terrę viſcera flatum, & aquæ illam vniuerſitatem agitantẽ, eleuantèmque, [bb] aliorum opinione reuocata, confugias; nobis erit ad alia pariter arma properandũ: conſtat enim non rectis; ſed obliquis tantùm ſuprà terram excurſionibus flatuum copias diuagari, neque eis perennibus, & vt flumina intuemur, continuis. ad hæc, vt breui, nec ſemel ſedatis ventis mare compeſcitur, proximè eiſdem reflantibus agitandum, ita modico temporis interuallo pluries deberent flumina oblitеſcere, rurſus pluries emerſura.

bb Vallef. de ſacra philoſ. c. 63. ex D. Baſilio Homelia 4. Exameron.

Aquã terræ pondere cõpreſſam ad montes eleuãri, falsò dixit Plinius

Nec tanta in commotione inſiſtat [cc] Plinius, illud prętereа cõminiſcens, ipſius ſcilicet terræ ponderibus expreſſam aquam Siphonum modo, altiſſimis montium iugis emicare, eòque ingenio in ſumma quæque, & altiſſima proſilire: quis enim certas inter latebras, actòſque natura cuniculos, quibus aqua per terræ viſcera diſcurrit; terrę pondere aquã comprimi, ſimùlque ea compreſſione exprimi poterit opinari? vel enim ea terræ mole intercipi cuniculos, occludique latebras, vel aquam non exprimi neceſſe eſt, dum tubus non intercluditur, ſed liberum præbet ſtagnanti, ſeù diffluenti aquę conceptaculum.

cc Plin. lib. 2 cap. 65.

Sic

Digitized by Google

Sic ergo vndique attractę ſurſum aquę nos ambiunt, nec modum, quo attrahantur, ſuſpicientes parebimus [dd] Cratilo, qui etiam ſemel intrà flumẽ intrare vetuit? An verò, vt de philoſopho [ee] referunt, ita etiam nos cum hanc abyſſum capere nequeamus, ipſa nos capiat concedemus? Sed meritò eam pœnam ſubeant alij, qui opinionibus ſuis naturam diſtorquere, ne dicam diſſoluere, quàm ſuas malunt ad eam accomodare ſententias. Nos autẽ ſi iuxtà [ff] Solonis præceptum, leges, opinionèſq; rebus magis, quàm illis res aptabimus, eo diſcrimine liberabimur.

dd Ex Ariſt. 4. metaph. tex. 22.
ee Ex Mirãdul. I Exam. doctr.
ff Ex Plutarc. in vita Solonis.

Flumen intrare etiam ſemel vetuit Cratilus.
Philoſophus abyſſum nõ capiẽs, abyſſo capitur.
Antiquorũ mos in philoſophãdo.
Non res opinionibus; ſed opiniones rebus aptãdæ.

Primùm verò pręclariſsimi quamuis repugnent auctores, non tamen ad mare, non ad barathrũ illud naturales fontium, fluminùmque origines redigendę: ab vtroque enim, quando reliqua conuenirent, fontes ipſi diſſentiunt; quippe vel barathrũ hoc, ſiue mare altius terra creditur, vel humilius. ſi è terra quidem eminet, vt nihil profectò erit, quod præcipitantis fontis remoretur fluxionem, ita quę vis deinde poſſet ad mare, quemadmodum intuemur, vel ad barathrum, altius vtrumque poſitum, refluentes fluuios referre? quę auderent manus ſuo pondere delabẽtes aquas, non ſuſtinere modò, ſed ad ſuperiorem quoque regionem, qua demiſſę dicuntur, eleuare? At ſi vtroque cenſetur terra ſublimior, nullus fons poſſet circa hãc terrę ſuperficiem emicare, nullum flumen emitti, nihilq; prorſus pateret, quo tanta difficultas eſorberetur. Planiùs ergo [gg] Ariſtoteli ſubſcribentes, coacto aere, concretiſque intrà terrę viſcera vaporibus aquam gigni, perpetuòq; in flumina erupturam ſuccreſcere aſſeramus:

Fontiũ fluminũq; origo non mare, nec barathrum.
Ex aere, atq; vaporibus aquarũ origines.

gg Ariſt. ſupra citat. 1. meteor.

ramus:

ramus: vt enim exteriore hac terrę ſuperficie, quę vel minima eſt, excitatis vaporibus, aquarum illæ, quas alibi retulimus, immenſitates neceſſatiò colliguntur, ità, & maiore cum neceſſitate, largiores atquę amplioribus eis viſceribus cumulantur, continuòque cumulo fontium perennem æqualitatem aſſeruant. Nec repugnat huic poſitioni Eccleſiaſtes: eo etenim ſenſu poterunt è mari flumina exoriri; quia vapores ex eo attolluntur, quibus terra largiùs humectata, promptiùs fluminibus materiam ſubminiſtrat.

Terræ viſcera multis peruia latebris, atq; cauernis.

Rurſus verò ad rem noſtram illud ponamus, terram, quam duram, & ſibi ipſi ferè omniquaq; connexam aſpicimus, non eodem ſoliditatis filo inteſtinas partes cōtextas retinere, quin adeò eius peruia eſſe viſcera, vt intrà ventrem vnum ventres, cauernas, tubos, canales, atque voragines contineant, & non ſolùm ſecundum formas, molèſque varias, vt inquit [hh] Plato; ſed tantę etiam capacitatis, vt non modò Lycos, Eraſinos, Tigrides, & Timauos, vt refert [ii] Plinius; ſed Rhodano etiam non minores fluuios, vt inquit [kk] Ariſtoteles, abſorbeant. Nec fruſtra inanitates tantas condidiſſe quę [ll] nihil fruſtrà condit, temerè ſuſpicemur: nam per tubos aquam deuehi, cauernis tanquam in fontibus contineri, per meatus omnes excurrere certa quadam lege conſtituit; talèmque inter ſe ſe meatus iſti legem retinent, vt ſi quandoque contingat ipſorum quempiam nimia aquę mole opprimi, ſe in alium exonerare proximum liceat, quouſque vel ampla capacitate aqua contineatur, vel furente impetu, viſcerum carcere diſrupto, in maiora tandem ſpatia vio-

Terræ viſcera ingentes fluuios abſorbent.

Cur maximas cauernas in terræ viſceribus conſtruxerit natura.

hh Plato in Phedone.
ii Plin. lib. 2. cap. 103.
kk Ariſt. eodem loco.
ll Ariſt. 2. de cœlo tex. 59 & 3. de anima tex. 45.

mm Seneca 3. natural. quæſt. c. 16.

Sunt ſub terris minùs nota, non tamẽ minùs certa iura naturę. Amplas ſub ſe cauernas montes cõtinent.

violenter oberret. ita vt ſub terris, vt inquit mm Seneca, minùs nobis quidem nota, non minùs tamen certa ſunt iura naturæ. Eas potiſſimùm amplas cauernas ſub montibus eſſe illi non neſciunt, qui maximos ſub montibus fontes eſſe cognouerunt. quare ob illarum amplitudinẽ è proximis fontibus excurrentem aquam montes plerumque colligunt, eàmque ad capacitatem aſſeruant; at referta iam, infarctàque capacitate, nouis ſemper, maioreque vi recurrentibus aquis, neceſſe eſt montem mole, & aquarum impetu fatiſcere, furentibúſque humoribus exitum patefieri; cùmque circa baſim montes duriores ſemper, & ampliores exiſtant, circa ſummitatem verò rariores, faciliùſque cedentes, hinc circa montium ſummitates non rarò erumpunt flumina, tanta in poſterum aquarum copia perſeuerante, quanta poſſit cauernas illas vſque ad ſcaturiginem ſuperimplere. Qua in re, ſi verum eſt quod aſſerunt nn Platonici, vniuerſi gubernationem eſſe tanquam animalis, liceat ex animali, rerum omniũ exemplari, ex homine inquam, huius rei transferre exemplum: ſiquidem non ſecus, ac cum venę ſanguinis tubi ita replentur effręni ſanguine, vt prę irruente copia circa altiores narium partes dilacerentur, & exitu ſanguini patefacto, ad inopiam effundatur; ita & fluminum ſcaturigines erumpunt. quod ille præſertim impetus atteſtatur, quo veluti propulſę aquę, libertatis, maioriſque ſpatij auidę efferuntur. idèmque modus in artificijs illis, naturę artificia ęmulantibus innoteſcit: eorum enim depreſsione (vt demonſtrat oo Scaliger) ſubſilit aqua per tubos ad eam ſuperficiem, quę altior eſt, quàm ſuper-

Flumina cur in ſummis mõtibus oriantur, auctoris opinio.

nn Plotin. Enneade 4. lib. 4. c. 10.

Vniuerſi gubernatio tãquam animalis.

oo Iul. Cæſ. Scaliger. ad Cardanum Exercit. 46.

ſuperficiés, è qua deſcendit. Sed in monte, & inter flumina hyemali hoc tempore diutiùs verſari periculoſum, & iam video attractas aquas ex ipſa etiam ſummitate relabi. Nos pariter è monte, quem aſcendimus, eodem imaginationis curru deſcendamus.

Qua induſtria ab animatis partibus alimenta trahantur.

EXERCITATIO VIII.

Paradiſi terreſtris deſcriptio.

INter nobiliſſimos, ac toto terrarum orbe celeberrimos hortos ij procul dubio maximè pręſtant, & omni in genere præter cęteros excellunt, qui à mundi incunabulis adoleſcentes, Paradiſi nomine inſigniti, ad Dei ſpatiũ ſingulare, ad innocentis hominis regiam parati creduntur. hi nulla tempeſtate ſqualidi, nulla vnquam ventorum, vel imbrium defloreſcentes iniuria; tametſi omnium primi, nulla tamen ętate ſeneſcunt; imò quantùm tempore antecedunt, tantùm dignitate antecellunt. ibi ver nullo ſiderum volumine interruptum, aura nullius Euri impetu conturbata, perenniſque nullo turbine confuſa ſerenitas. ibi amęnitatis ſedes, ſuauitatis ærarium, delitiarum theſaurus, omniſque compendium voluptatis. Illud verò præ omnibus eſt hiſce in hortis ſuſpiciendum, quòd pellucidis amnium liquoribus, liquefactis veluti margaritis, ipſorum vndique veſtis inſigniatur.

Paradiſi terreſtris flumina, eorũque deſcriptio.

Excurrunt, vel ſpatiantur potiùs eo loci flumina, tam placida, tàmque ſalubria, vt, quamuis arborum familiam, plantarùmque vniuerſitatem enutriant, omnibus tamen videntur numeris abſoluta. Naſcũtur hæc è principio, etſi aliòqui dubio, nulla tamen ex parte ignobili: eo enim gloriatur Sapientia, a dum ego inquit, effudi flumina. ſpatiantur indè iam enata, pede etſi lubrico, minimè tamen concitato. venerantur, & id ſpatium riparum apparatus viridiſſimi, qui foliorum aggere circumtexto, arborum vallo muniti, & fornicato ramorum ambitu, varijs vndique obductis topiarijs ab ardore, ſi quis eſt, tuentur lymphas, & animos decora opacitate delectant. exultant lucidiſſimo alueo laſciuientes aquæ, & dum ſenſim, ac ſinè ſenſu feliciſſima per ea tempe diſcurrunt, ſenſus omnes alliciunt: oculis .n. chriſtallini ſpeculi, ad ſumendas imagines præbent imaginem; auribus compoſito quodam fragore concentum, & harmoniam conſono murmure parant; naribus, vel muſcoſo algarum exercitu, vel ornatiſſima florum ſcena ſummam redolent ſuauitatem; tactui refrigerationem pergratam, pèrque iucundam; guſtui ſummę voluptatis blandimenta; omnibus tandem ſuauiſſima quæque miniſtrant. Tantum his rerum parens natura conceſſit. Sed quò magis flumen illud exornatum, eadem ratione credetis, quod non ad ſegetum fluit luxuriem; non ad plantarum; ſed hominum alimentum; non ad ſenſus alliciendos; ſed ad intelligentis animæ miniſterium; non in hortis; ſed intra mirabile humani corporis ædificium? ſanguinis dico fluuiũ Academici, qui, liquefactus veluti pyropus, venarum per argenteos

a Sapientiæ cap. 24.

Sanguinis laudes.

teos tubos tam placidè, ſuauitèrq; diſcurrit, vt indè vniuerſa fere humanæ vitæ commoda hauriantur: hic enim ſuccorum omnium optimus, affluens vitæ theſaurus, natiui caloris ſedes, lætitiæ parens, ſpirituum inſtaurator, membrorum firmamentum, miniſtrator animę, vniuerſi corporis robur.

Sanguinis, atq; flumınū conſimile munus.

Hęc itaque flumina ſunt, quorum, ſi, pręter apparatum, potiſsimum munus inquiras, pręſto ſenſibus erit: hoc enim quocunque ab animatis membris attrahatur, eiſdem ſuppeditat alimentum; illud verò attrahentibus plantis, ad eſcam, miniſtrat humorem; vt tantum lactet, quãtum oblectat; nec immeritò tanquam mammas dixerit [b] Philo, in terra, non minùs omnium parente, quàm altrice, exuberare flumina. at ſi modum inquiras, ingeniumque, quo talis attractio, vel à plantis, vel animatis membris perficiatur, nec præſtò ſenſibus erit, nec facile intellectui: cum enim humor quilibet ſuo nutu, ſuòque motu feratur in terram; hinc vbi ad erecta animalium membra, vel ad arborum ſuprema faſtigia, [c] ſeptuaginta cubitis, [d] vel vltrà ſagittę impulſum quandòque ſublimia protrahitur, ſummam parit admirationem. Admirantur alij; nec quidem temerè, pręclarum illud artis, naturam æmulantis cōmentum, quo aquę, vel ad arcium ſumma, vel ad id impendentium montium altitudines rapiuntur; ſed ſcimus iam eius opificij molimentum callemus machinam, noſcimus tubos, inſpicimus modum; quem verò, dum haud impari interuallo alimentã trahuntur, modum inſpicimus, quę ferramenta, quas machinas, quòſue miniſtros?

Flumina tãquã mãmæ in terra ponuntur.

Propoſiti argumẽti difficultas.

Suprema arborum altitudo.

b Philo Iud. lib. de mundi opificio.

c Diodor. Sicul. de geſtis Alex. anno nono.

d Solin. in Polyhiſtor. cap. 55.

Miniſtros tanti muneris eos, conſueta creduli-

tate, iactat vulgus, quos medici villos appellant; modum verò contractionem eam, qua ijdem villi, ſe ſe contrahentes, rapiunt alimentum: ſic enim eius corpuſculi breuitate contracta, quod in longitudinem diffuſo adhęrebat inſequitur. Sed quamuis modus hic neque captioſus, neq; dubius ſenſuum quadam facilitate probetur; non tamen omnibus eſt huius generis argumentis appoſitus, atque conueniens. intuere, vel tenues adhùc plantas, vel duriſſimas arbores, excute corticem, explica illarum viſcera, atque medullas, vniuerſam conſule dendranatomen, nullus occurret villus, nullus fibrarum ordo, & quod illam contractionis ſpeciem induere poſsit, duriſsimum intrà corpus reperies nihil; niſi tamen rectos illos pororum ordines, quibus non obliqua arborum ſtamina, radicibus imminentia, conſtruuntur, fibrarum ordines eſſe credideris, eiſdèmque ſtaminibus, ad alimentum alliciendum, non imparem poſſe contractionem perfici tibi facilè perſuaſeris: ſic enim, & in animalibus, vbi ad idem profectò munus, fibrarũ ordines affirmamus, contractionem eam ineſſe credimus, nõ intuemur. quid? quod ipſis neque animalibus ille modus aptatur? oſsium namque ſubſtantia, atque moles in omnibus quidem dura; in quibuſdam verò vſque adeò duriſsima, vt hac ratione ipſius attritu ignis excutiatur, quemadmodum in leonum hiſtoria refert [e] Ariſtoteles; & nullis tamen intertexta ſtaminibus, ſiue villis ad ſe allicit alimentum, ſe non contrahit; quin penitiſsimas intra partes illud rapit, & vt inquit [f] Hippocrates, alimenti vis ad oſſa vſque peruenit, & oſsium partes, & nullus ibi fibrarum appa-

Alimenti attractionem fieri per villos communiſsima fert opinio.

Non ab omnibus poteſt alimentum trahi per villos.

Plantæ nullos habent villos.

Mẽbra, quæ fibras habẽt, dũ attrahũt, nõ videntur moueri.

Oſſa nutrimentum attrahunt, nec fibras habẽt.

Oſſium ſumma durities.

e Ariſt. 3. de hiſt. animal. c. 3. & 2. de partibus c. 9. & Alber. lib. 22. de anim.
f Hipp. lib. de alimẽto.

apparatus, nulla contractionis ſpecies miniſtrat.

Oſſilaginem Deã pro oſſium forma tione poſuerũt antiqui.

An in tanta rei admirabilitate confugiemus ad Deũ, vt inſulsè feciſſe antiquiores accepimus, quos refert [g] Arnobius, Deam quandam pro oſſium formatione, hinc Oſſilaginem appellatam adoraſſe? Sed ſic in nos quoque, quod iecit in Anaxagoram [h] Ariſtoteles, & in Themiſtoclem, conciliantem ſibi populum [i] Plutarchus, [K] Platonis illud de tragicis poetis conueniret, qui cum hærent, nec poſſunt argumenti exitum explicare, commentitijs quibuſdã machinis ad Deos confugiunt, Deos inducunt.

g Arnob. lib. 4. aduerſus gentes.

Platonis, & Ariſtotelis in eos, qui ad Deũ confugiunt cõuitium.

h Ariſt. 1. metaphyſ. ſumma 2. cap. 2.
i Plutarc. in vita Themiſtoclis.
k Plato in Cratylo.

An verò aliorũ aſſentatores illi plaudemus, quod de fœtu, intrà vteri clauſtra degente Crotoniates Alchmeon [l] aſſeuerabat? eodem ſcilicet conatu attrahi ab animatis partibus alimentum, ac ſpõgiarum viribus rapiuntur humores. Sed expendemus & nos ſpongiarum vires, ipſarùmque in attrahendis humoribus ingenium penitus excutiemus; cuius verò ſenſus adeò interim eſt à ſenſibus alienus, vt, quamuis aſpiciens, nec attrectans, poſſit tamen humanis in oſſibus aſſimilem credere ſpongijs mollitudinem?

Alchmeonis de nutrimẽti attractione opinio refertur, atque refellitur.

l Ex Galen. lib. de hiſtor. philoſ.

m Sententia eſt Anaxagoræ, & Empedoclis, vt referũt Ariſt. 1. de plantis c. 1. & Gal. lib. de hiſt. philoſ.

Stirpes crediderũt nõnulli ſe ſe mouere.

An clariſſimis aſſentientes [m] philoſophis, animalium motum ſtirpibus etiam tribuemus, eàſque ad alimentum pariter opinabimur commoueri? Sed vereor, ne dum plantas inter animalia recenſentur, ipſa verè animalia conuertantur in plantas. aptè Ariſtoteles plantæ inquit, motum non habent: cum terræ ſint, quę non mouetur, affixę.

Plantæ immobiles sũt.

Theodori opinio de alimenti diſtributione per corpus, falſa eſt.

An, & quod [n] Theodorus retulit, nos probantes, ex aere, intima corporis membra peruadente, ſolicitatum ventrem ſe ſe comprimere, eàq; compreſſione

n Theodorus Priſcianus lib. 4. ad Euſebiũ circa finem.

ſione vniuerſo corpori,tanquã per manus, alimenta diſtribui aſſeremus? Sed oſſium adhùc, atque plantarum compreſſio expoſceretur.

o Auerr. 7. phyſ. comm. 10. & Alber. 7. phyſ. trac. 1. cap. 3.

Auerrois, & Alberti ſententia, qua ſe ſe alimenta ad membra deferri dicũtur, reprobatur.

An o Auerroi, & Alberto ſubſcribentes, ipſa ſe ſe ferre alimenta ad membra, propriam veluti ſedẽ, perfectionèmque adeptura, concedemus? Sed non poſſet hac ratione ad alimentum ſe ſe vis nutritiua porrigere, eiùſque attrahendi facultas de medio tolleretur, expultrice ſuperſtite. nec poſſet fortaſſe ratio explicari, quamobrem hoc alimenti ad hæc membra; illud vero, etſi generis eiuſdem, ad alia tamen, omnino diuerſa, feratur, quando, non membrorum vi trahitur, ſed ſuopte nutu accurrit.

Vberrimum alimentũ attrahunt plãtę.

Quid ergo, dum nutrimentum perpetuò capimus, nutriendi rationem ſemel non capimus? neq; verò à plantis, quarum prȩſertim nomine acriùs vrget difficultas, minimum trahitur alimentum; ſed ſatis quidem vberrimum; ita, vt non modò ex plantis, dies, noctèſque è fluminibus humorem trahentibus non niſi potum noſtram vitam eſſe p quidam probauerit; ſed etiam legem de plantarum interuallis ferre coactus fuerit q Solon, ne debita alimẽti vbertas finitimarum conſortio exhauriretur; & animaduertendum operepretium eſſe duxi, quod de Hemo Tracię monte r fertur, qui cum eſſet aliàs aquarum inops, ſyluis deinde, quas tanquam paterfamilias alebat, valli gratia reciſis, ingentem aquarum copiam effudit: quippe humor ille, qui deſijt in ſylueſtris familię alimenta conſumi, in flumen eſt coactus, atque collectus ampliſſimum. Tantum humidi alimenti à plantis attrahitur, nec quomodo attrahatur agnoſcimus?

Quomodo vita non cẽſeatur aliud niſi potus.

Legem de plantarũ interuallis tulit Solon.

Flumen ex intercepto plantarũ alimẽto ſubortum.

p Antiphanes referente Atheneo lib 1. Dipnoſophiſt. c. 17.

q Plutarc. in vita Solonis, & Plato 8. de legibus

r Ex Plin. lib. 31. c. 4. & Theophr. referẽte Seneca lib. 3. natural. quæſt. cap. 11.

Extol-

Eſt in membris attrahẽdi vis, quæ tñ ita indiget organis, vt ſine eis operari non poſſit.

Extollunt etiam hac in re communem illam attrahendi vim, animæ ancillam, nutritionis miniſtrã, qua ita allici inquiunt, alimentum, vt in penetrales etiam ſedes rapiatur. Sed calleo equidem ancillã, non ignoro miniſtram, nec libet, nec licet in communibus hominum ſenſibus, quin ipſa in natura poſitum, atque infixum denegare ſeruitium. at, cum animę, pręter intelligentiam, quęcunque ſit vis, atq; facultas membrorum incluſa compagibus, ita organo ſit addicta, vt nihil, eo vacante, moliatur, nihil, eo moliente, non præſtet: hoc enim iure, moderatoris organi veluti nomine inſignita, organica appellatur; hinc, cum attrahendi vim ad id operis, atque muneris inſtructam dicimus, organi partes, quę fortaſſe in hoc genere primę ſunt, deſiderari non debent, cum in reliquis pręſertim membris attrahendi facultas tãta neceſſitudine attrahentibus organis, quæ fibras vocitant, adiungatur, vt nihil ab ea attrahatur, niſi fibrę contrahantur; in plantis verò, & oſſibus quęnam eius generis ad attrahendum organa parantur, quis villus contrahitur, quę fibra miniſtrat, vel quis attrahentis eius facultatis modus exponitur?

Quædã mẽbra non attrahunt, niſi per fibras.

Fibras ad nutritionẽ inditas falsò nonnulli denegarunt.

Effugere difficultatis vim, potiùs quàm infringere eos exiſtimo, [f] qui villos partibus inditos non ad priuatum propriæ nutritionis munus; ſed ad cõmunia quędam opera exercenda voluerunt: ventriculus enim inquiunt, ad cibi attractionem villis vtitur, quemadmodum & vena ad ſanguinem tranſmittendum; oſſibus verò, quæ ſeſe tantùm nutrire, nec publicum debent aliquod munus explere, nec fibras natura indidit ad attrahendum. Verum non

[f] Andreas Laurentius lib. 3. anat. hiſt. cap. 16

vident

vident iſti,ſe conſimili etiamnum difficultate vrgeri, cum cauſſam enarrare adhùc nobis debeant, quamobrem quę publici muneris ratione attrahunt membra villis indigeant, quando reliqua ſibi tantùm deſeruientia, nulli ſubiecta fibrarum miniſterio poſſunt attrahere? vel cur plantarum radices, quę non minùs ac venæ, alimentum reliquis partibus tranſmittunt,fibris tamen in hoc publico munere non vtantur? neque enim fatebimur quidem cum doctiſſimo [t] Fracaſtorio, huius generis organa quædam in plantis; quęnam verò ea ſint, taciti ſimul, & callidi pręteribimus; ſed minùs ſaltem improbabilia ſeligentes, Hippocratis, vt aiunt, vinculis alligemur.

t Fracaſt.de ſympat.& antipat.c.12

Fracaſtorij calliditas in organis plātarum.

[u] Hippocrates itaque dum attrahendi alimenti rationem in plantis, & animalibus explicat, omnia in cognatam quandam inter alimenta, attrahentèſque partes ſimilitudinem reuocat: quæcunque enim inquit,in terra naſcuntur, his omnibus exhibet humorem ſimilem vnicuique, qualem & hoc ipſum, quod naſcitur ſibi ſimilem iuxta cognationem habet,& trahit vnumquodque de terra alimētum,quale etiam ipſum exiſtit; idque rationis eſſe docet,quamobrem in Ionia, & Peloponneſo nulla ope,nullàq; opera Sylphium enaſcatur,quod abundè quidem,ſuàque ſponte in Libia germinat:quippe ibi cognatus ille deſideratur humor. quę ſi probaueris, vt procul dubio probare debes, non ineptam; ſed Hippocrate dignam attrahendi alimenti colliges rationem,&,quod facile alijs non eſt,cauſſam quoque indè venaberis, quamobrem oſſa, nullo fibrarum apparatu,attrahant alimentum:cum enim

u Hippocr. lib. 4. de morbis.

Neceſſaria eſt inter alimentum, & attrahentes partes ſimilitudo.

Cur quædā plantæ quibuſdā ſolùm in regionibus naſcantur.

Oſſa cur ſinè fibris attrahant alimentum. enim poſt omnes, vel magis principes enutritas partes alimentum capiant oſſa; hinc longiore ipſarum actione, maiorem illud cum animatis partibus contrahit cognationem, cuius ratione cum arctiùs oſſibus alimenta ſubijciantur, naturàque propiùs hæreant, poterunt facillimè, nullòque fibrarũ
Quę ſimilia ſunt faciliùs attrahũtur. miniſterio attrahi: vt enim alliciendi alimenti vis in ſimilia tantùm fertur; ita quò magis cognata ſunt, eò faciliùs commouebit: quippe quemadmodum ignis, cuius eſt comburere, quę ſuę naturæ propiora ſunt, promptiùs comburit, ita & ea vis, cuius eſt attrahere, quò magis affinia ſunt, eò faciliùs attrahit, cum non minùs ea ad ignem, quàm ad hanc vim ſimilia pertineant. Eius verò commenti euidẽtiam aliorum docet exemplum: partes
Partes, quæ primò attrahunt alimẽtum, copioſas habẽt fibras. enim, quæ primæ attrahunt, & infra modum, elaboratum alimentum, multis refertę ſunt fibris, vndiq; obducuntur villis, vt in carnibus, eiſque venis, quæ meſeraicę appellantur, quin omnibus, quę circa iecur attexuntur, conſpicimus: vbi enim aliqua ex parte deſideratur ſimilitudo, qua attractio adiuuatur, aliud ſuppetit inſtrumentum, nempe fibra. Nec
Plãtę cur ſinè fibris capiant nutrimentum. diſſimili ratione philoſophandum in plantis: iſtæ enim ita viuentium omnium gradu infimo ſunt cõſtitutę, vt ipſarum genus, non ſolùm à [x] Stoicis inanimatum pronuncietur; ſed ab ipſomet [z] Ariſtotele reſpectu animalis inanimum videri aſſeratur: quare non difficulter plantę ſummam cum alimẽto contrahunt affinitatem, qua vna adiuuante, nec villorum, nec contractionis indigẽtęs, illud attrahunt, à terra pręſertim concoctum, & magna ex parte elaboratum: plantę enim inquit idem [aa] Ariſtoteles,

x Ex Gal. de hiſt. philoſ. cap. de ſtirpibus.
z Ariſt. 8. de hiſtor. anim. cap. 5.
aa Ariſt. 2. de partib. c. 3. & 10.

les, ſuis radicibus alimentum, iam confectum à terra hauriunt; quo circa ne excrementum quidẽ contrahi in ſtirpibus ſolet: terra enim, caloréque eius perinde ac ventre, vel tanquam matre, vt dicebat [b] Anaxagoras, vtuntur. eadèmque ſimilitudo eſt, quæ apud Hippocratem de alimento loquendi morem, nulli hactenus annotatum explicat: nunc enim alimentum [cc] inquit, ad oſſa vſque, & oſſium partes peruenit; nunc verò alimentum partes attrahunt, atque rapiunt: ineſt quippe ſimilibus quidam veluti orbis, dum proportio illa ab alimento ad partes, & à partibus ad alimentũ vertitur; quin ſi eandem analogiam non cortice tenus, vt fecerunt fortaſſe hactenus [dd] alij, ſed ad medullam vſque perpenderis, ardua alioqui difficultate, nec omnino extra rem poſita, de ventriculi alimento expedieris: ſuccus nàmque ille, qui chilus dicitur, etſi ventriculi eiuſdem effectus, & opus; non ita tamen, vt ad huius opificis ſubſtantiam propiore ſimilitudine, & coniunctiore ſubſtantia, quàm ſanguis accedat: cum enim eius ventriculi ſubſtantia, vt communior fert opinio, ex ſemine ſit compacta; cùmque ad ſemen propiùs accedat ſanguis, non chilus; hinc ſanguis potiùs trahitur in ventriculi alimentum. Tanta in omnibus eſt ſimilitudinis vis, atque poteſtas.

Terra plãtæ vtuntur tãquã ventre, vel matre.

bb Ex Ariſt. 1. de plantis cap. 1.

Hippocratis de alimento loquẽdi mos obſeruatur.

cc Hipp. lib. de alimẽto.

dd Vallеſ. 2 controuerſ. cap. 3.

Ventriculus an chilo nutriatur.

At quoniam quę analogię miniſterio excitata attrahunt, ſenſibus [ee] diximus præmoneri, & quibuſdam veluti illecebris, attrahenda corpora irretire; cùmque nutriendi vis ad plantas, & reliqua animantia pertinens, nec ſentiendi munus ſuſtinere, nec blandimentis alimentum poſſit allicere; hinc, ne adeò neceſſaria facultas, alimenti inopia, torpeſceret,

Ineſt nutriẽdis mẽbris tacita quædam verſus alimẽta vis.

ee Exerc. 4.

Digitized by Google

ret,ſenſuum vice,quędã inſita illi vis eſt, qua quod reſpuendum, quodque pariter attrahendum, valeat ſe ipſa diſcernere: ſecus enim qui poſſet, retento vtili,noxia ſecernere, nulliùſq; ſenſus opera, in tanta ciborum varietate ſeligenda non errare? idque fortaſſe voluit [ff] Albertus,dum nutritionem fieri inquit, ad ſpeciem ſentientis: quippe alimenta veluti ſenſuum iudicio quodam ſeliguntur, vt [gg] Galeni etiam animaduerſione nobis poterit innoteſcere: hędus enim matris ſimul vtero, conſortiòque ſecretus, varijq; ad alimenti deductus aſpectum,omnia quidem olfaciens,veſtigauit, vnum verò lac ſelegit ad cibum; vt inſita quadam cognitione videantur conuenientia cuique alimenta pateſcere,animùmque,ac ſi notiſſima forent, allicere. ad hęc eadem verò excitanda,& tanquam illecebris quibuſdam irretienda, caloris etiam opera excitatur,cuius partes cũ ſint, animæ viribus obſequi, & ad eius officia exequẽda,omniũ maximè,* vt inquit ille,adminiſtrãdi vim obtinere. nõ immeritò ipſius nomine poterit attrahi alimentum;quod & enarrãs [hh] Ariſtoteles, in plantis inquit, & animalibus putabit vtique quis,ignem eſſe id,quod operatur; hic autem concauſſa quidem quodãmodo eſt, non tamen ſimpliciter cauſſa; ſed magis anima. & generaliùs [ii] alibi,humiditatem induci in miſta voluit, proprio calore attrahente; eodèmq; è ſenſu minime diſcrepãs [kk] Hippocrates conſtituuntur inquit, animãtia pręſertim ex igne,cuius eſt omnia per omnia mouere; vt optimo iure videatur [ll] Zeno naturam artificioſum ignem appellaſſe: quippe quæ nullo,vt inquit [mm] Hippocrates,docta præceptore,

Quomodo nutritionẽ dixerit Albertus ad ſpeciem ſentientis fieri. Galeni obſeruatio de hędo ſibi cibũ ſeligẽte.

Calor alimẽti attractionem inſtrumentaliter adiuuat.

Ignem dixit Hippocrates oĩa per omnia mouere. Naturã appellauit Zeno artificioſum ignem.

ff Albert. de natura, & orig. animę tract. 1. c. 4.

gg Gal. 6. de locis aff. c. 6.

*Ariſt. 2. de part. cap. 7.

hh Ariſt. 2. de anima, tex. 40. & 41

ii Ariſt. 4. meteor. c. 2. & 4

KK Hipp. 1. lib. de dieta.

ll Ex Cic. 2. de natura Deor.

mm Hipp. lib. de alimento.

viam ſibi quacunque parat, ac omnia ſumma arte, vnàque caloris opera molitur. Nec mirum ſit, ea calorem, ſolius animę vim, abſoluere, quæ ſuo tantùm nomine nunquam pręſtat; cum eiſdem quoq; viribus concoquat, & plurima huius generis alia perficiat: calor enim in animalibus, inquit veritatis Doctor [nn] S.T. non ſemper mouet ſecundum ignis naturam; ſed ſecundùm quòd mouetur ab anima. eam verò rem ita profectò ſe habere, hinc carnes, & indumenta reliqua, oſſibus ſuperpoſita ad calorem, inde plantarum radices oſtendunt, quarũ partes cum ſint quicquid eſcarum ſuppetit attrahere, vegetiore calore gliſcunt, atque laſciuiunt; vernum deniq; tempus oſtẽdit, cuius vitali calore, feliciores tanquam per manus, largiùs attractis alimentis, progerminant alia, alia frondeſcunt, propagant ſobolem, & omnia ſtylo etiam depoſcenda luxurie efferuntur.

nn S.T. i primum de gener. & corr. lect. 24. tex. 84. ex Ariſt. 2. de anima tex. 37.

Radices plã tarũ, cur reliquis partibus calidiores.

Verni tẽporis cõditio.

Verùm enimuerò ſi, pręter organum, adhuc & modum, quo alimenta attrahuntur, expoſces; ille tibi non debebit, qui probatur [oo] Ariſtoteli diſplicere: humorem etenim explicans ipſe ad extrema plantę vi caloris attractum, quemadmodum inquit, in balneis calor humorem trahit, & in vaporẽ conuertit; ſic in animalibus quoque, atque plantis ſuperfluitates ab infernis ad ſuperna aſcendunt, & è ſupernis ad inferna deſcendunt. iuxta quam rationem, calidum, inquit [pp] alibi, augmentat, & ſtruit nutrimentum, & leue quidem attrahit; amarum autem, & ſalſum relinquit propter grauedinem quo in modo, nec omninò fortaſſe diſsẽtiet ab Ariſtotele [qq] Galenus, dum attractum alimentum in multas

Quonã modo per calorẽ alimenta trahuntur.

oo Ariſt. 2. de plantis cap. 1.

Alimẽtũ ex Ariſtotele vertitur in vaporem.

pp Ariſt. de ſenſu, & ſenſili cap. 4.

Alimẽtũ ex Galeno ad modũ exhalationis vertitur in particulas.

qq Gal. 1. de ſemine c. 11.

Digitized by Google

multas particulas diſſolutum, exhalationis inquit inſtar, attrahentibus membris adiungi. eàque in re comprobanda, nec in plantis, nec in animalibus argumenta deſiderantur: ex illis enim, parte aliqua præciſa, humor quidam, vt aquę ſpeciem referens, elabitur, ita & concretis humidarum rerum expirationibus non diſſimilis. in animalium verò oſſibus tanta videtur denſitas, atque durities, vt, niſi in vaporē extenuatus ſanguis penetrare non poſſit; quòd & innuit fortaſſe [rr] Hippocrates, dum pinguiſſimo ſanguine nutriri aſſerit oſſa, quem tenuiſſimum eſſe voluit [ſſ] Ariſtoteles; ſemper tamen ea in his eſt intelligenda diuerſitas, qua attrahens anima debet à calore, vapores proprijs viribus efferente, diſtare.

Cur pinguiſſimo ſanguine nutriri oſſa dixerit Hipp.

rr Hipp. lib. de natura pueri.

ſſ Ariſt. 4. de partibus cap. 3.

Has omnes ob cauſſas eos non ſemel ſum medicos admiratus, qui neſcio, an [tt] Galeni auctoritate decepti, an orationis apparatu pellecti, vnicam putarunt, qua cibi trahuntur, eſſe viam. omnia per omnia mouet calor. Naturę ipſi in primis eſt neceſſitati parcendum, parendum; & cur obſecro, neceſſitas, quam mundo incubare credidit [uu] Pythagoras, adeò fortiſſimam [xx] Thales exiſtimauit, vt vniuerſo facilè dominetur, noſtro in corpore naturam non vrgebit ad cibos, quocunq; poterit, attrahendos? quid? quod expellendi facultas omni ex parte, omnèmque per regionem inſtante neceſſitate expellit, & attrahēdi vis, eodem ſtimulo confoſſa, non eadem quoque ſpatia obtinebit? At iuxta pręceptum [zz] Pythagorę nō licet tam facilè in omnia dexteram inijcere; cùmque iam attractum ſit alimentum, membràque videantur conquieſcere, noſtra etiam quieſcat oratio.

Falsò putarunt nonnulli vnicā eſſe aſſumēdi cibi viam.

Pareт neceſſitati natura

Neceſſitatis vis.

Quēadmodum expulſio, ita attractio per omnem regionem fit.

tt Gal. 4. de vſu par. c. 1.

uu Ex Gal. de hiſtor. philoſ. cap. de neceſſitate.

xx Ex Diog. Laert. in vita Thaletis lib. 1.

zz Pythag. in ſymbolis.

Qua-

Qua ratione à quibuſdam membris præter alimenta, alij quoq; humores attrahantur.

EXERCITATIO IX.

Non rarò hominem illum admirari cõſueueram Academici, qui ira intimo odio, & corde concepta, non minùs toto corpore furit, quàm animo vltionis libidine excandeſcat. inteſtino primùm exardet incendio cor, & hùc, illùc, flammarum veluti fluctibus, iactatur; arteriæ turgeſcunt, nec ſtatis, certìſque; ſed turbidis, atque ſolutis motibus agitantur; omnes per omnia cientur ſpiritus, & furentium more bacchantur; vndique feruet, ferturq́; ſanguis, & cœco caloris impetu, cœcos etiam per anfractus excurrit; minaciter frons contrahitur, ſupercilia tenduntur in arcum, horrendo obtutu ſęuiunt oculi, quorum aciẽ, quantùm flammea fulgura exacuunt, tãtùm cruentæ nubes obtundunt; tumeſcunt patulæ nares, atràſq; fuligines, flammarum globulis intermiſtas, expirant; ore vniuerſa irarũ tempeſtas euomitur: indè enim horrenda vocum tonitrua percrebeſcunt, minarum grando, prouocationum varijs confuſa procellis, effunditur, contumeliarum fulmina iaciuntur, & denique quicquid immanis molitur animus, corpus exprimit vniuerſum. *Iraſcentis deſcriptio.*

Nec diſpari ratione illum admiratus ſępiſſimè ſum, *Timẽtis deſcriptio.*

ſum,qui vix appropinquantis mali timore percitus, vel minima quæque pauens,ſummi etiam diſcriminis incurioſus,non corpus animo,non animum ſpe, non ſpem conſilio ſuſtinet; ſed tumultuante animo labitur corpus,pallet vultus,horret capillus,caligāt oculi,lingua titubat,vruntur exta, algent extima, concreſcit ſanguis,ſiccantur fauces,labant genua, contremiſcunt artus, horrore omnia quatiuntur. Non raro inquam, ſum huiuſmodi homines admiratus; ſed vulgarem nunc vtramq; admirationem cenſeo: * ea enim iure ſuſpiciuntur,quorum cauſſę, nec plenè, nec planè notę, ignorantiæ tenebris deliteſcunt. At quis non nouit perturbato animo, cuius nullum non eſt in corpus imperium, ſuccumbendi neceſſitatem? quis non videt ad cordis,ſpirituumque motionem membra omnia commoueri? quippe illud ſummum membrorm obtinet principatum; iſti verò fere primas habent in animi paſſionibus,quas omnes cum corpore eſſe dixit [a] Ariſtoteles.

* Ex Ariſt. 1. metaph. ſumma 1.c.2.

Corpus quare animi affectibus alteretur.

a Ariſt.1. de anīa tex.14.

Illud autem videri hinc poterit mirabilius, cum nulla imperij vi, nulla animi perturbatione, nō ſpirituum fluctu,non principis membri iactatione,vniuerſum corpus,confuſis ſenſibus,præpoſteris actiōnibus videris perturbatum. Ea corporis regione, qua iecur coſtis ſubnexum inteſtinis hæret,veſicula quędā,fellis inquiunt,eidem iecori nectitur,membrū nullius opinione princeps, [b] Ariſtotelis, [c] Plinijque ſententia non neceſſarium, omnium conſenſu viliſſimum, adeòque natura ſua exiguum, vt [d] olim pręgrande inuentum prodigij loco habitum fuerit; eàque re [e] puſillum vaſculum appellatum; huius

Icteri morbi ortus, atque deſcriptio.

Ariſtoteles atq; Plinius veſicam fellis non putarunt neceſſariam.

b Ariſt 2. de hiſtor.anim. c.15. & 4.de part. cap. 2.
c Plin.lib.11 cap.37.
d Plin. eodē loco,& Alexāder ab Alexādro l.b.5. genial.c.25.
e Ruffus Epheſius de partiu m corporis human. appellationibus lib.2. cap.6.

huius tamen ſi tubulus in iecur patulus concludatur, continuò vultus colorem, priſtinàmq; ſpeciem exuit, fœdantur oculi, pallent genę, vrget ſitis, concidit appetentia, & cibi pariter, atque potus vſque adeò alieno ſaporis genere ſapiunt, vt [f] dulces videantur amari; [g] amari autem, quod mirabilius eſt, nec dulces, nec amari, ſic inſita amaritie externæ ſenſum occultante; [h] motus præterea grauitas, animiq; inſtat difficultas, prurit cutis mordaci puncta bilis aculeo, nullo excita ſtimulo torpet aluus, polluitur ſanguis, arteriarum motus extenuantur, franguntur vires, corpus denique vniuerſum ſqualore obſitum intabeſcit, tametſi membri nullus, vt in alijs diximus, principatus, nullum animæ vrgeat imperium. Et quamuis neque anceps ſit huius rei ratio, nec magnę, arduæque cogitationis indigeat: illud enim eſt eius veſiculæ munus, & ingenium, vt vniuerſam ad ſe bilem facilè attrahat, & tanquam in laguncula contineat; hinc tamen Hydra, [i] vt in adagio eſt, veluti ſecta, rurſus alia difficultas pullulabit: illud namque non eſt tam facile, nec promptam, vel expeditam habet rationem, quo ſcilicet induſtriæ neruo bilis, humor alioqui infeſtiſſimus, ab animata parte attrahatur? ſingulę enim partes non corporis gratia, ſed ſuo in primis cōmodo huius generis munera exequuntur, quidnā verò commodi ex attracta bile ea veſicula poteſt exigere?

Icterici accidentia.

Dulces ſapores cur icterici credāt amaros; amaros autē dulces.

f Alexander 1. prob. l. problemate 101.

g Aretæus de cauſis, & ſignis diuturnor. morb. cap. 15.

h Cælius Aurelianus lib. 3. Chronion cap. 5.

Icterici cauſa.

i Apud Platonem 4. de republ. & apud Plutar. lib. de fortuna Alex.

Eadèmque in renibus vrget, vrget & in liene difficultas, qui non ignauum membrum, nullòq; fungens, vt [k] alij crediderunt, miniſterio, melancholicum humorem tanto trahit ſui, vel totius corporis diſcrimine, vt notante [l] Hippocrate, vbi *lien efflo*reſcit,

Lienis munus.

k Ruffus Epheſius eodē lib. 2. c. 7. Eraſiſtratus vt refert Andreas Laurētius lib. 6 ſue anatō. q. 25.

l Hipp. lib. de locis in hom.

reſcit, reliquum corpus contabeſcat, vel contra tabeſcente liene corpus effloreſcat; quod annotans, & [m] Plato, quando propter corporis morbum inquit, ſordibus iecur abundat, lienis raritas id purgãs, „ eas combibit; cum membrum hoc concauum ſit, „ & exangue, vnde purgamentis impletum excre„ ſcit, tumètque ſanie, & rurſus cum mundatum „ corpus eſt, reſtrictum in ſe ipſum conſidet. Platoniſq; ſectator magis, quàm explicator [n] Alcinous, „ lienem inquit, iecoris gratia conſtitutum, vt hoc repurget, nitidùmque reddat, ideòq; corruptiones eas, quæ ex quibuſdam morbis circa iecur naſcuntur, in ipſum recipi; quod & [o] Traiano anſam dedit lienem priuatis cum opibus, fiſcòque conferendi: pari etenim ratione fiſco exhauſto, priuatorum opes excreſcunt; iſtiſq; extenuatis fiſcus exuberat. vt quid ergo humorem tales partes attrahunt noxium, & infeſtum?

m Plato in Timeo.

n Alcin. in inſtitutione ad doctrin. Plat. cap. 7.

Lien fiſco cõparatus.

o Ex Lago. i annotationibus ſuper 3. lib. hiſtor. Eccleſ. Nicephori c. 23.

Nec audiendi ea in cauſſa illi ſunt, [p] qui bilem eius veſicæ alimentum, lienis melancholiam crediderunt: quippe fallax omnino eſt, nullòque ſenſus conſenſu firmata credulitas: cum enim nulla eius veſiculæ actione in ſanguinem ſyncera bilis cõmutari poſſit, vel in ſemen; hinc neque ex ſanguine, vel ſemine conflatam ſubſtantiam poterit enutrire; id verò tum nutritionis ratio, tum finis maximè poſcunt: ratio quidem, qua [q] ex eiſdem omnia nutriri debent, ex quibus conſtant; finis verò, [r] circa quem debet alimentum cum nutriendis partibus ſimilitudinem contraxiſſe; at quis bilem ſemini, melancholiam ſanguini reddat aſſimiles? vel quis eoſdem humores, nulla cum ſanguine, vel ſemine affi-

Veſica fellis nõ nutritur bile, nec melancholia lien.

p Laur. Ioubertus paradoxor. decade 2. parado xo 6.

q Ariſt. 2. de gener. & corr. tex. 50.

r Ariſt. 2. de anima text. 45.

Digitized by Google

nitate contracta,poterit eiſdem membris credere congruentes? quod argumentum in liene tam anguſtè non vrgere illis viſum eſt, [s] qui,vel effugium molientes, vel ſibi à Galeno verba in hoc dari facilè paſſi, melancholiam craſſo ſanguini adiunctã, quaſi eo conſortio feliciùs elaboratam, nutritioni accomodari crediderunt; ita verò ſanguini adiunctã attrahi à liene,vel ex eo coniectant: quæ enim [t] inquiunt, ampla per orificia ſuccum ſibi accomodatum alliciunt,non eum poſſunt ſyncerũ,atque purum ad ſe ducere; ſed alterius cuiuſdam generis admiſtione adulteratũ. Verùm enimuerò ſi res hæc in [u] Galenum eundẽ reuocaretur,deberent id opinantes ſe ſe quoque reuocare: confitetur namque idem auctor, trahere quidem lienem cum melancholico ſucco aliquid ſanguinis;eum tamen ſanguinem inquit, ante quàm ad lienem perueniat,venæ, quæ ſunt in Epiploo rapere ad ſe ipſas occupant. quare Galeno etiam auctore ſyncera melancholia fugitur à liene, atque ita eadem videtur repetere difficultas. Ego verò,qui non adeò facilè vim ſenſus effugio,etiamſi ampla per orificia trahantur humores,adhùc ſynceros rapi poſſe crediderim:quippe cibos, humorèſq; quoſdam ita è ventriculo reiectos ſcimus adhùc ſynceros,quamuis alijs ibi implicati forent,atque permiſti, ſempèrque [x] natura, vt aliena tantùm relegat, ita familiaria tantùm admittit. Sed vt cumque id ſe habeat, eſto crediderunt,querat,habeat apud ſe lien melancholiam ſanguini, vel vberiori permiſtam. quid? ergo ea melancholia nutrietur lien? quin potiùs, cum eo ſanguinis conſortio propriam ſpeciem melancholia non

[s] Valleſ. 2 controuerſ. cap. 3.

[t] Ex Gal. 5. de vſu par. cap. 6.

[u] Gal. ibid.

[x] Gal. 3. de natural. facult. cap. 6.

Poſſunt per ampla orificia etiã ſynceri ſucci attrahi.

Neque melancholia ſãguini permiſta nutriri poteſt lien.

Digitized by Google

non exuat, neque proinde poterit alimenti rationẽ induere; non ſecus ac ſi cinis cibo permiſtus ingereretur, nunquam nutrimenti ſpeciem obtineret, vnòque cibo membra nutrirentur, non cinere: eo namque permiſcendi modo cum rerum ſpecies nõ fiant aliç, aliena munera, ſibique prçſertim imparia adimplere non poſſunt.

At rurſus [y] ijdem [z] Galeni etiam nos axiomate interpellant, quo vno videtur ea opinio ſtabiliri: quicquid enim inquiunt, à membris attrahitur, ad nutrimentum attrahi neceſſe eſt; ſecus quem ad finem, quoue emolumento ad attrahendum allici membra putabimus, quæ ſolo alimento indigent, eo ſolo delectantur? Ego verò hoc reor argumentum ab ipſis iam planè membris eluſum: pulmones etenim aerem, quo nunquam nutriuntur, hauriunt; & vterus ſemen attrahit nullo alimenti commodo excitatus. ea ratione vnumquodque in rerum natura trahit inquit [aa] Galenus, vt eo, cuius per tractum fit compos, fruatur. quid ergo? è ſoliſne alimentis fructum membra percipiunt? an verò, vt varia ſunt prçter ſenſum, quæ vniuerſum corpus mille moleſtijs opprimunt, atque conficiunt, varia etiam erunt, quæ tot moleſtias poſſint voluptatibus compenſare? equidem, vt præter alimenta, alia experior, quibus integra membra ſeruantur, ita & hæc omnia illis modo ſuo fructuoſa exiſtimo.

Galeni axioma, quo qcquid inquit, à mẽbris attrahitur, nutrimenti ratione attrahitur, quomodo ſit intelligẽdum. Poſsũt alia, præter nutrimentum, attrahi.

y Laur. Ioubertus loco citato.

z Gal. eodẽ 3. de natur. facult. c. 6.

aa Gal. ibid.

Sed quando hos auctores non omninò improbabilia aſtruentes noſtris ab auribus excluſimus; quò quæſo [bb] Aſclepiadem ablegabimus, qui in hac difficultate, non modò auribus, ſed animis quoque hominum abſurdiſſima comminiſcitur? illos

Aſclepiadis opinio de humorũ attractione à membris, reprobatur.

bb Ex Gal. 1. de natur. facult. cap. 13.

Digitized by Google

enim cenſet humores non attrahi, vel demitti; ſed eis, quibus aſſeruantur conceptaculis, vi quadam gigni, & ſuboriri; quaſi hęc membra, quibus id humorum continetur, non ad detrahendas, reprimendàſque ſuperfluentes, atque prauas nutrimentorum reliquias natura conſtruxerit; ſed ad procreandas potiùs, augendàſque. quare neſcio equidem, an hìc naturæ vicem magis doleam, quæ à viro, alioqui philoſopho, præclariſſima poſt edita facinora, tantùm creditur hebeſcere; an verò huic eidem viro ſuccenſeam, qui adeò inertem, ineptàmque noſtri parentem naturam exiſtimare potuerit? Sed deſerendi ſunt potiùs iſti, quos ne Mercurius ipſe cum muſis ſanaret.

Bilis nullam habet cũ veſica, à qua attrahitur, ſimilitudinem.

cc Auctor lib. de Anatomia viuorũ cap. de veſica fellis.

Non longè diſpari in errore verſari ille mihi videtur, cc qui, vt ſimilem ei veſicæ bilem redderet, illam calidam, ſiccamque, pariter ac bilem, effinxit; vt ſimul hanc attractionem ea ſimilitudinis imagine adumbraret. Sed fallacis opinionis fucus clariſſimo veritatis nitore detegitur: eam enim veſicam, neruis non valde diſſimilem, orbatam ferè ſpiritibus, calorìſque inopem quis poterit ſimilem bilis credere? bilis inquam, quę ſubſtantia tenuis, acerrimo ſenſu infeſta, natura ignea, gliſcit æſtate, iuuentutis feruore abundat, atq; adeò ardentiſſimos parit morbos, vt qui inter bilem, eàmque veſicam in hiſce qualitatibus diuerſitatem non ſentiat, nihil vnquam ſenſurus eſſe videatur.

Bilis conditiones.

Refellitur recẽtiorum ſentẽtia dicentium, bilem non attrahi, ſed recipi intrà veſicam.

dd Gabr. Fallóp. in obſeruat. anatom.

Quantùm verò huius auctoris ſenſum veritas effugiſſe videtur, tantùm nimia ſenſibus tributa fides commentum alteri fallacis opinionis impreſſit; illi inquam, dd qui corporis quadam obſeruatione monitus,

monitus, nullam voluit bilem eius veſicę miniſterio attrahi, ſed refluentem potius, vel repulſam è iecore illhùc colligi. At cur quęſo ſenſus pariter eundem non monuit, attrahentibus vndiq; inſtrumentis ea, quibus in veſicam ducitur bilis, intexi orificia, ipsàmque eiuſdem veſicę inanitatem, vel in eis, qui diuturna fame necati ſunt, bile turgidam obſeruari? cuius contrarium prior ſenſus exigeret: quippe famis tempore, vel ſuperfluitates ipſas rapiunt potiùs ſingulæ partes, quàm repellāt. [ee] Hippocratis itaque ſenſus omnino certior exiſtimandus, qui trahit inquit, folliculus in iecore quicquid iſtic bilioſi ineſt.

ee Hippocr. 4. de morbis

Reprobātur dicentes, humores à mēbris attrahi ex vniuerſalis naturæ intentione.

In hoc deinde trahendi modo nec denique poſſum illum, magis quidem vulgarem, licet acutioris philoſophi, ſenſum ſatis probare, quo allici eos humores [ff] aſſerit à membris, quia hęc operantur ex intentione naturę vniuerſalis; quare, licet aliorum gratia operentur, nulla tamen ratione ducuntur; ſed ſolùm quia intelligens noſtri conditor ſummam indè animali futuram vtilitatem, membra ad attrahendum apta congenuit, eàmque vim illis indidit, aliorum vſui accomodatam. Ecquis obſecro vos, iſta poterit approbare? quęcunque enim naturaliter aliorum gratia operantur, ſibi primùm opus accomodant. vt mel ſibi, nobìſque parant apes; ſibi verò natura duce, nobis auctore Deo, qui omnia ſubiecit hominibus. membris etiam omnibus neceſſarium eſt alimentum, quod vnum tamen ſibi parat iecur; ita verò, vt illis etiam abundè ſuppetat. aptè [gg] Ariſtoteles, quodlibet non bonum amat; ſed quod ſibi bonum eſt amore proſe-

ff Valleſ. 2. controuerſ. cap. 3.

Quæ naturaliter operantur, propter ſe operantur.

gg Ariſt. 8. Ethicor. c. 2.

proſequitur. Et quidem, vel naturę ars vberrima, vel ſumma Dei ſapientia eſſet exhauſta, ſi hoc longè acrius non ineſſet in rebus conſtruendis ingenium, quod, vt quàm ſit ratione commendatum expendamus, paulò latiùs rem liceat exordiri.

hh Ariſt. 2. phyſ. tex. 75. ii Ariſt. lib. 2 de gener. & corr. tex. 59. kk Ariſt. lib. de inceſſu animalium.

Principio natura ex eis cauſſis eſt, quę [hh] alicuius gratia operantur; [ii] ſemper autem in eis, quę agit, atque molitur ad id reſpicit, quod potius, atq; melius; & quoniam ratione quadam duce eam credit [kk] philoſophus agentem, hinc nihil ex eis prętcrit, vnde aliquid commodi conſequatur. Porrò non leue cõmodum animalibus erat alimento vti ab omni alieni generis permiſtione vacuo, atque puro. quare ab ea præſertim congerie ſemper abhorruit, quæ poterat florem ſanguinis vniuerſum infringere; eàque re membra parauit, quę quicquid ſuperuacanei, atque noxij ſimul cum ſanguine fit, ad ſe raperent, & renibus commiſit ſerum, lieni melancholiam, eique veſicæ bilem; vt hoc nomine lætitiam lieni, ei veſicæ iracundiam [ll] nonnulli tribuerint, renes verò tanquam riuos dictos [mm] alij putarint. At quoniam ijdem humores, vt noxijs qualitatibus infeſti, ita viuentia quęlibet membra poterant offendere, nec minùs alimenti ſelectio vniuerſum corpus recrearet, quàm peculiaria hęc membra iſtorum læderet improbitas; idcirco conſultrix, & prouida vtilitatum omnium, eadem membra pręſidijs muniuit, & aduersùs hoſtilem impetum confirmauit: renes enim aduerſus lubricam, exedentèmque ſeri mollitudinem denſitate, duritièq; ſubſtantię muniuntur; lien aduersùs frigidam melancholię vim calidiſſimis vallatur arterijs; in ea denique

Natura ſemper ratione quādā quod melius eſt eligit.

Alimentum debet membra purum allicere.

Cur quibuſdam mẽbris quoſdā humores alliciendos cõmiſerit natura.

Lætitia cur lieni, bilis veſicæ iracundia, tribuantur.

Renes cur ita dicti.

ll Ex Lactantio Firmiano lib. de opificio Dei cap. 14. mm Varro ex eodem Lactantio ibidem.

Renes qua ratione aduersùs ſeri actionẽ muniuntur.

Lien vt ſe ſe à melācholiæ frigore tueatur.

denique veſica aduersùs calidos bilis aculeos ſubſtantiam parauit frigidam, & exanguem. Contra verò ſi eam ſemel naturalem eorundem membrorum conſtitutionem intueberis, continuò eiſdem membris (niſi naturę id inſtitutum foret) extremũ extremo accomodans, atque molliens, eoſdem aptabis humores: rerum enim duritati ſeri mollitudinem copulabis, ſubfrigidam veſicam bilis calore fouebis, lienis calorem melancholiæ frigiditate refringes; vt iure eum frigoris domicilium [nn] Macrobius appellauerit. Ea eſt naturæ ſolertia, & induſtria, vt cum mutuis beneficijs alterum alteri totum fingit, omnia ita deuincit; vt difficile ſaltem videatur id, cuius gratia alterum ſit, dijudicare. Nec id operis in eis tantùm machinata natura eſt; ſed in reliquis eiuſdẽ generis plurimis. Sic [oo] cordis incendium præter pulmonis viciniam, aeris attractio mulcet, ventris frigus circumſtantium viſcerum calore fouetur, non vnius partis ſiccitas humidis glandulis irrigatur, & vt inquit * Ariſtoteles ſolet natura ſemper emoliri contra cuiuſuis exuperantiam auxilium per coniunctionem rei aduerſę, vt exceſſum alterius, altero compenſet, & moderetur. Tanta rerum moles exigebatur, vt in hanc, quam videmus conformationem, erigi poſſet homo, & vt in alijs quoque idem conſilium probatum videas; ecce tibi quàmaptè ad hanc rẽ, vel [pp] Ariſtotele teſte, concinit Euripides,

Humentẽ amare pluuiam cum terra arida eſt,
Cœlumque ſacrum cum grauatum eſt imbribus
Telluris arentis cadere in ſinum appetere.

Fellis veſicã quid à bilis aculeis defendat.

Quid cõmodi habeant membra ab humoribus, quos attrahunt.

Lien frigoris domicilium.

Multa ſunt, quæ ſuis cõtrarijs moderantur.

nn Macrob. 7. ſaturnal.

oo Hippocr. lib. de corde.

* Ariſt. 2. de part. anim. cap. 7.

pp Ex Ariſt. 8. Ethic. c. 1.

Tanta rebus omnibus videtur eſſe conſenſio, vt mutua etiam ſeruitute extremum extremo famuletur.

Neque verò quorundam membrorum obſtet exemplum, quę vel prædictis ſicciora, durioràque, vt oſſa, vel frigidiora, vt nerui, vel calidiora denique, vt iecur, atque cor, non ſerum tamen, non bilem, non melancholiam attrahunt: etenim huius generis mēbra parem ſuę naturę obtinent qualitatem, nec moderatione aliqua indigent, vt ad conuenientiam, quam ex ſe obtinent, reducantur, ita prçſertim eorundem vſu comprobante, quo oſſa, totius humanę fabricę fundamenta, ſummam, ne tantulùm molliendam, exigebant duritatem, repreſſum neruis conueniebat frigus, parique modo in alijs; ea verò membra, quę muneribus illis voluit natura prçeſſe, debebant pariter ſuę naturę paulolum diſpari qualitate inſigniri, vt auidiùs poſſent ad moderationem ea contraria repetere, quibus propria natura reſtituitur Cuius conſilij in corde etiam expreſſum exemplum nullus eſt, quin probauerit: quippe cor, vt ad ſpiritus parandos aerem attraheret, diſparem ſibi calorem, & paululum inconuenientem obtinuit: ſic namque eo ęſtu vrgente refrigerationem exoptans, attrahit aerem, quo deinde in alijs vtitur natura muneribus; ſi verò cordi omninò congruus vniuerſus foret, quem obtinuit, calor, nec ad refrigerationem, nec ad aerem attrahendum impelleretur; vt hoc excogitato artificio nihil non ſummo ſtudio, nihil non probè natura diſpenſet. idque vtilitatis eſt, quod ex eis humoribus, infeſtis, alioqui,

Cur calidiora membra melācholiā, frigidiora bile non attrahunt.

Cor qua ratione aerem neceſſariò attrahat.

&

& noxijs, hauriunt ea membra. id cauſſę eſt, quamobrem bile perpetuò veſica turgeſcat, lien melancholia imbuatur, renes ſero irrigentur, omnia hęc tales humores attrahant, atque rapiant: cum pręſertim prouida eadem natura maiorem calorem illi veſicę, minorem lieni tribuere nequiuerit: illa enim calorem iecoris exacueret, hic proximum ventrem non foueret; vt id etiam naturę eam induſtriam exoptauerit. Eòque ſenſu non ineptè loquutum qq Anaxagoram poſſumus coniectare, dum morbos dixit, acutos ex bilis veſica progigni: indè enim ſępe emergens hic humor in proxima viſcera diffunditur, in membra ſimul, ac ſanguinem craſſatur; morbos autem acutos ex bile originem trahere conſueſſe ipſemet rr Ariſtoteles approbauit. Ea ſiquidem lege illos humores attrahentia membra hoc oneris, atque muneris tuentur, ac ſuſtinent; vt quoties raptus humor aliquid aſpergit moleſtię, continuò in proximos ſe ſe ductus exonerent, & vt ſe moleſtia liberent, ab eo munere vacent. Cui legi noſtra etiam parens oratio, vt vos inſperſa fortaſſe moleſtia liberemus, ſileamus.

Quomodo acutos morbos è bilis veſica gigni dixerit Anaxagoras.

qq Ex Ariſt. 4. de partib. cap. 2.

rr Ariſt. 1. ſect. problematum problemate 6.

O Qua

Qua vi dolor humores attrahat.

EXERCITATIO X.

Perpendiſtis ne aliquando Academici, quid rationis ſit, quamobrē, cum voluptate nihil homini videatur amicius, nihil iucundius, atque ſuauius; dolore verò nihil eidem inimicius, nihil aſperius, atque moleſtius; idem tamen homo voluptate potius, quàm dolore corrumpatur? equidem, cum id non rarò perpenderim, ſemper meo diffiſus ingenio, ex alijs deſideraui adiumenta doctrinę, & fortè ne hac difficultate vrgeretur ſolertiſſimus [a] Ariſtoteles moleſta ſuſtinere, quàm à iucundis abſtinere difficilius eſſe duxit; quaſi faciliùs à moleſtis, quàm à iucundis homines corrumpantur, eòque non eſt ſanè parum inquit [b] alibi, ſecundis rebus bene vti, attamen aduerſas moderatè perferre multo maius eſt exiſtimandum. Sed, ſi ſenſui, cui vel ipſe credidit Ariſtoteles, noſtram quoque fidem adhibere velimus, non eſt, eo iudice, in hac re ſubſcribendum Ariſtoteli: ſcimus enim, & lux veritatis, hiſtoria atteſtatur, non plures modò, ſed pręſtantiores etiam voluptate potius fractos viros, quàm dolore mollitos. Sic [c] Tacitus ille, huius generis rerum inueſtigator acerrimus, ſecundę res inquit, acrioribus ſtimulis animum explorant:

Voluptate cur potiùs, quàm dolore corrũpatur homo.

Aduerſis potiùs, quàm iucũdis corrumpi homines credidit Ariſtoteles.

Sẽſus reprobat Ariſtotelem.

Viri voluptate potius fracti, quàm dolore molliti.

a Ariſt. 3. Ethicor. c. 9.

b Ariſt. 2. Econom. c. j.

c Tac. hiſtor. lib. 1.

plorant: quia miſeriȩ tolerantur, felicitate corrumpimur. ita & [d] Dion res ſecundȩ inquit, in libidinem mortalibus exundant, vt nullum cupiditatibus modum ſtatuant. vel, ſi ad peculiaria licet exẽpla deſcendere, [e] Annibalem, quem non viarum anfractus, non Alpium prȩrupta faſtigia, non niues cœlo propè immiſtȩ, non aquarum voragines, non cœli grauitas, non cibi difficultas, non auctoritas Romani nominis retardarunt; quem nullius periculi terror potuit commouere, nulla calamitas auertere, nullus aduerſantis fortunȩ impetus frangere, Capuȩ hybernantem immodicȩ voluptates eneruarunt. & [f] Alexander, quem nos magnum, omnium verò maximum idem Annibal appellauit, orientem fortunam moderatè, atq; prudenter quidem tulit, eandem verò immodicè excreſcentem non tulit; vnde de ipſo minus iam, inquit [g] Quintus Curtius, cupiditatibus ſuis imperabat inter obſequia fortunȩ, contra quam non ſatis cauta mortalitas eſt. quid? quod ipſa etiam ratio id ſuadet? voluptas enim nimiȩ felicitatis apparatu mentitur; dolor autem ſolius calamitatis ſpecie verax. illa fallit, hic inſtruit. illa mendacium ſpecie bonorum mentes fruentium ligat, hic humanarum cognitione miſeriarum abſoluit. denique, vt veritatem paucis complectar, corpori quæcunque ſuauia, & amica ſunt, hȩc eadem mentis aciem perſtringunt, prudentiam labefactant, & rationem, qua vna prȩſtamus belluis, euertunt; vel, vt fatetur ipſe etiam [h] Ariſtoteles, ſi bona fortunȩ modum excedant, difficile eſt, vt rationi obediant. quȩ verò eidem corpori inimica ſunt, vel iniucunda mentem

O 2 erigunt,

Annibalem quæ eneruarunt.

Alexander quam fortunam nõ tulerit.

Voluptatis cum dolore collatio.

Quȩ corpori amica sũt, mẽtem obruunt.

Corpori noxia mentem erigunt.

d Diõ Caſs. hiſtor. Rom. lib. 44.

e T. Liu. lib. 3. ſecundi belli punici. Valer. Max. lib. 9. cap. 1. & Plutarc. in vita Annib.

f Quint. Curt. lib. 3.

g Q. Curt. lib. 8.

h Ariſt. 4. polit. cap. 11.

erigunt,rationem exacuunt,ipsàmque reddunt aduerſorum exercitatione prudentem. at quid huic corpori dolore dici poterit inimicius,quid infeſtius? profectò nihil; cùmque id pluribus poſſim oſtendere, eo dumtaxat argumento aperire contendam, quod noſtrę erit hodie orationis argumentum. Conſueuerunt ij,qui grauiſſimos inimicos,& acerrimos hoſtes agunt, vlciſcendi tempore obſeruato, non eos modò, quibus cum inimicitię intercedunt, grauiſſimè offendere, ſed illos etiam,quibus ij familiariter vti ſolent,maledictis prouocare, irritare vi, ferròque laceſſere. Sic,& dolor, noſtrę naturę hoſtis acerrimus, dum noſtrum corpus attingit, non ſolum, quod occupat membrum opprimit, atque deuaſtat; ſed toti etiam corpori familiares humores irritando prouocat, ſummàque vi ad ſuam ſedem trahit, atque debellat. Tanta eſt immaniſſimi hoſtis ad offendendum audacia. Sed quænam ſint dolori ad prouocandum linguæ, ad irritandum manus, ad humores attrahendum vires, hoc nobis liceat hodie explicare. *Hoſtium induſtria.* *Doloris vis.*

Nec profectò aliquem eſſe exiſtimo à doloris ſenſu adeo alienum,quin ſemel tantam vim pertulerit.Nonne obſeruaſtis quandoque, & vos Academici, dolente qualibet corporis particula, tantum humoris ad illam attrahi,vt particulis, vel remotiſſimis exhauſtis, proximæ quæque tumeſcant? aptè quidem maximus præceptor [i] Hippocrates,cum „ dolores inquit, acceſſerint,bilis atræ, fluxuumq; „ acrium influxiones fiunt, dolent morſa interna, „ morſæque, atq; admodum arefactæ venæ intenduntur, inflammatæque trahunt quæ influunt. *Dolentes ad partes humoris confluunt.*

i Hipp.4. de ratione victus in acutis tex.27.

eadèmq;

eadèmq; ratione, ad vulnera docet [k] alibi, concurrere ſanguinem; quod ferè tranſcribens [l] Ariſtoteles, pars inquit, colliſa humorem trahit. & ab vtroque nulla contentione diſcordes [m] Galenus, & [n] Auicenna ſanguinem inquiunt, dolor attrahit, tantàmque attrahendi vim dolori tribuit [o] Plutarchus, vt eam cauſſam crediderit, quamobrē apro, vel ceruo infixus clauus putredinis apud venatores remedium ſit: illum enim putat, humores ad ſe allicere, omnèq; illuc putredinis vitium confluere, ſequente perpetuo affluxu ad id, quod afficitur, atque dolet.

Cur infixus animalibus clauus putredinis apud venatores remedium ſit.

[k] Hipp. 6. epidem. cōment. 5. tex. 12.
[l] Ariſ. 9. ſect. problematū problem. 1.
[m] Gal. de curandi ratione per ſāguinis miſs. cap. 8.
[n] Auic. lib. 1. fen 4. cap. 3. & lib. 3. fen 1. trac. 2. c. 7
[o] Plutarc. in problē. ſympoſiac. decade 3. probleMate 10.

Vulgaris quidem, & iam diuturnitate tabeſcens opinio eorum in hac re eſt, qui dolorem exiſtimarunt per ſe, propriéque nature viribus iſthęc attrahentem. Sed qui ſemel eſt doloris ortum, inſitàmque vim contemplatus, opinionem hanc, non modò vulgarem continuò iudicauit, ſed effęminatam quoque, leuem, & cum falſo, incognitòque communem: cum enim duo tantùm ſint, quibus vniuerſa doloris natura continetur, & quod aſperitatem quandam, atq; moleſtiam membris ſentientibus infert, & huius aſperitatis, atque moleſtię ſenſus, qui propriè [p] dolor dicitur. illud attrahere nequicquam ſuo nomine poteſt; cum ad ſenſum tantùm eius vis, impetùſque pertineant, ad reliqua confracti, & inanes. hic verò cum ſolùm in ſentiendo conſiſtat, attrahere quì poterit?

Dolor per ſe nō attrahit.

Doloris natura.

[p] Gal. 2. de locis aff. c. 2.

Minùs quidem vulgaris, minùſque à doctiorum intelligentia, ſenſùque diſiuncta illa videtur opinio, qua dolor caloris, quem producit, miniſterio dicitur attrahere: etenim calorem in dolentibus excitari

Dolor non trahit ratione caloris.

tari tum plurima ſunt, quæ oſtendunt, tum præſertim illud [q] Ariſtotelis: quippe, quemadmodum animantium generi ferè omni à natura tributum eſt, vt ſe aliquo armorum genere tueatur; quare alia cornibus, alia dentibus, vnguibus alia repugnant; ſic dolens natura, cum calore poſſit dolorem oppugnare, vel illi ſaltem maximè repugnare, innato quodam conſilio expirationem, quæ calida eſt, ad caloris augmentum comprimit; ideòq; inquit [r] Ariſtoteles, poſſe dolentes clamare, quandò metuentes, eadem ferè triſtitia affecti, ſilent. ſpiritu autem calido retento, calorem vel præter modum accendi confeſſus etiam eſt [ſ] Galenus. Sed præter quam quod in vulneribus, nullo calore iam excitato, humorem videmus attractum; adhùc eidem opinioni modus, quo calor attrahit, videtur ex parte repugnare: calor enim non ad excelſiores partes humores eleuat, vel trahit ad obliquas; ſed, vel extenuando conuertit in vapores, vel fundit, & ad defluendum reddit aptiores; dolor verò quamcunque partem vrgeat, humoribus implet.

q Ariſt. 27. ſect. problematũ problemate 9.

r Ariſt. ibid.

ſ Galen. lib. de cauſſis morb cap. 2.

Dolor calorē quomodo ſēper afferat.

Modus, quo calor attrahit, videtur dolori incōgruus.

Ineptiùs procul dubio ſenſiſſe videtur [t] Auerroes, qui non ad qualitatem, doloris ſobolem, attrahendi cauſſam reuocauit; ſed ad eam potius, quæ dolorem parturit, vel expultricis facultatis impetu excitatur. ineptiùs inquam, ſenſiſſe videtur: ſiquidem frigida plerùmque qualitas eſt, ipſiuſmet [u] Auerrois teſtimonio, dolorem partibus inferens, quæ tamen qualitas repellere faciliùs poteſt, quàm attrahere. quid? quod, ſiue frigida, ſiuè calida vis ſit, ſiue doloris parens, ſiue

t Auer. 7. collig. c. 29.

u Auer. 3. collig. c. 31.

Qualitas dolorē inferēs non eſt ea, quę attrahit, vt credidit Auerroes.

ue ſoboles expultricis; nunquam tamen his nominibus poterit humores attrahere, quemadmodum vel ſuperiùs enarrata pleniſſimè poterunt perſuadere?

Galeno aſcripta opinio quomodo dolor attrahat.

Denique communis, & peruagata fertur in hac re [x] Galeno aſcripta ſententia, qui, cum vidiſſet, huius euenti cauſſam, vel aſſignatam nullam, vel nullo modo probabilem, illam ipſe adinuenit. doloris moleſtiam ſentiens natura, eius cauſſa tentata, primiſque conatibus nihil proficiens, vehementiùs, maiorèque conatu rem aggreditur; eòque impetu ſanguinis, & aliquid ſpiritus ex ſuppoſitis partibus in afflictam ſimul exprimit, vt hac ratione dolor attrahere videatur. quod vniuersè etiam [y] alibi repetens, communis quidem inquit, ratio eſt, vt quò natura aliquid violenter excernit, eò ſanguinis, & ſpiritus motus fiat, quibus veluti inſtrumentis quibuſdam vſa, per vim propellit quæ moleſtiam exhibent; eàmq; arbitratur rationem, quamobrem dolentibus partibus ſuperueniant inflammationes, doloris cauſſam excernere, & propulſare enitente, & properante natura, quæ, vt id præſtet, ſanguine, ac ſpiritu dolentem locum replet. hęc Galenus; cuius; etſi adeo clariſſimè ſenſa videantur expreſſa, vt nec alteram auctoris lucem fortaſſe deſiderent, varia tamen, multiplicìque expoſitione poſteritas perturbauit: [z] quidam enim ſunt, qui id ex eo contingere voluerunt, quòd dolor, quę in proximis etiam partibus reſidet, expultricem irritat, eàque concitata ſanguinem, atque ſpiritum in ipſam dolentem exprimit. [aa] Alij verò non expellendi; ſed ſentiendi vim à dolore

Galeni ſententia multis, varijſque modis à recentioribus expoſita.

[x] Gal. lib. 13. method. medic. cap. 3.

[y] Galen. 5. aphor. cōm. 53.

[z] Turiſanus in tertiū artis medic. comm. 69. & Argēter. lib. 2. de cauſſ. morb. cap. 6.

[aa] Chriſtophor. à Vega tertio de arte med. c. 3.

dolore volunt excitari, quę ſuis deinde vtitur inſtrumentis, eàque ad dolentem particulam tranſmittit, ſubſidia ferre contendens. [bb] Plerique non ad ferenda ſubſidia; ſed ad dolorem ipſum expellendum, partes, quę circa dolentem ſunt, cœco impetu aduersùs dolorem inſurgere credunt, ac proinde versùs illum ipſas comprimi, eàque cõpreſſione ſpiritus, & ſanguinem mittere. [cc] non pauci, ſicut excitata phantaſia, ipsòque impellente appetitu membra quędam commouentur, ita, & dolente membro, calorem, atq; ſanguinem concurrere voluerunt. [dd] non nemo denique ob mirum illum inter noſtras partes conſenſum, quo vnica omnes conſpiratione iunguntur, aliqua dolente particula, eodem reliquas dolore commoueri autumat, eàque, quam iſte vocat, condolentia irritatas, quicquid ſuperflui ineſt ad dolentem partem emittere aſſeuerat. vel etiam: quia vitalis appellata cordis facultas, cum ſpiritus, calorèmq; iuxtà partium exigentiam diſtribuat, eo temporis, ob maiorem, doloris cauſſa, indigentiam, illorum plurimum ad dolentem particulam mittit, quibus cum permiſti facillimè etiam concurrunt humores.

bb Valleſ. 7. controuerſ. cap. 3.

cc Fracaſt. de ſympat. & antip. c. 23.

dd Ludouic. Mercatus de recto præſidior. vſu lib. 2. cap. 8.

Tot itaque ſunt vnius ſententię expoſitiones, quas ſingillatim examinare, (nè longiùs progrediatur oratio) prętermittam; illam verò diuerſitatem haud tacitus pręteribo, qua neque conſtare videtur vis, atque facultas motionis huius principium, & origo: quidam enim afferunt expultricem; vim alij ſentientem; hi naturam cœco illo impetu deſcriptam; illi phantaſiam, & appetitum; quidam etiam vim vitalem; omnes autem ratio-

Recẽtiorum diuerſitas in exponenda Galeni ſententia.

nem,

nem, intelligentiàmque omiſerunt; quin ipſam etiam è natura ſuſtulerunt; vt admirandum profectò mihi ſit, quonam pacto illam naturam, quam ‟ nos, nec quidem è contemnendis auctoribus, ‟ Exercit. 2. &c. nunc magam diximus, nunc ſinè præceptore doctam, nunc non abſque ratione operantem, nunc mentem ipſam appellatam; hanc ipſam naturam nunc iſti adeo inertem, indoctam, à ratione alienam, & amentem ſic facilè cenſeant; vt, dum cauſſam doloris tentat, illam confirmet, dum laborantibus membris ſubſidium ferre conatur, alijs laboribus illa confringat, dum denique dolorem deponere, vel mollire contendit, acerbiorem planè commoueat, augeat, & amplificet? qua propter iſtorum, ſic dolentium vicem ſæpè dolemus ex eo: nam confluentes humores, dum affectam, afflictàmque partem impetu quodam occupare feſtinant, dolorem augent, auctùſque dolor alios humores prouocat, vt videantur hæc, mutuis veluti officijs, ad vnius internecionem conuenire. idque eſt prudentiſſimę naturæ laborantibus leuamen, dolentibus ſubſidium, concidentibus firmamentum? non difficulter equidem crediderim, irritatam quandòque naturam doloriſque ſtimulis confoſſam plurima moliri, quibus incommoda, detrimenta, moleſtię, atque labores nobis etiam pariantur; credere autem adeò facilè nunquam potero, tam cęcam naturam, atque imprudentem, vt hæc omnia mala, vel leui ſaltem, commodo non compenſet: ſi enim quandoq; acris humoris morſu, vel conſimili moleſtia concitata, partes ipſas veluti dilacerat, chariſſimum etiam ſanguinem ef-

In attrahentis doloris cauſſa exponenda naturā recentiores faciunt à ratione alienam.

Natura ſæpe alicuius cōmodi gratia operatur.

P fundens,

ſundens, tunc inteſtinum reijciens inimicum, aliquid ſibi ſolet emolumenti comparare; dum verò ad dolentem partem tranſmittit humores, quid quæſo emolumenti, quid commodi pro ea compenſatione conſequitur? ecquis hęc naturę ſubſidia, non deſidias eſſe crediderit? quis quęſo tam liberè, atque libenter communem omnium parentem fatebitur in miniſterijs eligendis adeò improuidam, in ſubſidijs ferendis imprudentem, vt tot mala, ne leui quidem, commodo compenſet? vel cur humores tranſmittendi modum non ſtatuit, dum eorum copia dolorem potius auget, quàm molliat? an verò in malis leuandis deſidioſam, atque cęcam, in augendis verò ſolicitam, anſiámq; credemus? Sed vera iam eſto excuſatio, veràque reſponſio, & non modò eam calamitatem accidere, ad ipſam non intendente natura; affirmemus; ſed ipſam quoque dolentem naturam caloris ſubſidio recreari, illiùſque pręſentiam auidiſſimè exoptare vltrò etiam fateamur: dolores enim (vt inquit Ariſtoteles) vel omnes certè, vel plurimos calor adiuuat; tantùmque caloris auidam ſuprà, cum eodem Ariſtotele, dolentem naturam diximus, vt eo nomine calidum quoque ſpiritum retineat. quomodo verò, quod apud doctiſſimos quoſque peruulgatum video, poterimus in eadem ſententia affirmare, eum nempe calorem ſiue cum ſanguine, ſiue cum ſpiritu à partibus alijs ad dolentem emitti? cum etenim membra omnia, quę naturaliter operantur, ſemper propter ſe tantùm operari, communis ferat opinio; cùmque partes illæ, quæ nullo dolore afficiuntur, nullum quoque poſſint

Natura hu-mores ad dolenté parte tranſmittés nihil cōmodi conſequitur.

Dolores omnes calor adiuuat.

Ariſt. loco ſupra citat.

Nō poſſunt humores ad dolentem particulam ab alijs mébris mitti.

ex

ex caloris emiſſione commodum excipere ; hinc quonammodo ſe ſe ſpiritu, calorèque orbent, nullòque ſui emolumento aliјs illos impartiant, iudicare ſanè non poſſum ; cum doloris illud, quod iactant, incitamentum, præter dolentem partem, ad nullam poſsit aliam pertinere. quin etiam apertè fateor, non modò calorem, ſed humores quoque ab ipſamet dolente particula attrahi ; potius tamen conſequente quadam ratione, quàm ad doloris leuamen, idque quo pacto ſe habeat, nunc exordiar explicare.

Dolens particula attrahit humores.

Principio quæcunque ad naturæ finem referuntur, ſumma quadam ad homines alliciendos ſuauitate replentur, & vt inquit [ff] Ariſtoteles, via omnis pertinens ad rem naturalem ſuauis eſt ; cùmq; tres quodammodo fines vni, eidèmque homini expetendos eadem natura indiderit, animę ſcilicet perfectionem, ſciendi deſiderio demonſtratam ; ſpeciei perpetuitatem, liberorum amore nobilem ; & denique propriam ſuimet conſeruationem, viuendi ſtudio inſignitam. hinc tria etiam, quibus, veluti eſcis, homines capiantur, delectamenta parauit : ad animæ enim perfectionem, mira illa in cognoſcendo ſuauitate allicimur ; ad ſpeciei perpetuitatem veneris delectatione raptamur ; ad noſtram denique conſeruationem, tum omnium ſenſuum, tum pręcipuè guſtus dulcedine commouemur ; ita, vt quoſdam quaſi ſenſus, neceſſarias voluptates dixerit [gg] Plotinus. & licet veneris illa delectatio, vel repugnante * Scaligero, ad eoſdem quoque ſenſus pertineat ; egregium tamen quoddam, quod proprium habet, vt inquit [hh] Galenus,

Naturalia omnia ſuauia ſunt.

Tres fines homini natura propoſuit.

Tribus oblectamentis ad prædictos tres fines homines alliciuntur.

Cur voluptates, vt ſenſus, neceſſarias dixerit Plotinus. Veneris delectatio non cõſtituit peculiarem aliũ ſenſum.

ff Ariſt. 4. ſect. problematũ probleмате 16.

gg Plotin. lib. 2. Ennea. de 2.

* Scalig. ad Cardanum. exerci. 286. num. 3.

generantium partium ſenſus, eiq́ue famulantium organorum apparatus, magis proprium illum finem euidenter oſtendunt. Tot quidem blandimenta ad homines alliciendos natura miniſtrat; hac tamen ratione, vt ea facultas, quę ſciendi ſuauitate afficitur, præter eam, quę in huius voluptatis negatione conſiſtit, * nulla moleſtia teneatur; ſenſus verò, qui ad finem nobis præ cœteris charum, & naturę neceſſarium referuntur, præter voluptatũ, quas ſolent percipere, negationem, alijs etiam moleſtijs, quas dolores appellamus, afficiantur; ſicut, & quæ veneris delectationem percipiũt organa, tactus nomine dolent; & iure quidem, vt ijs cruciatibus affecti ſenſus auidiùs eas voluptates, quibus propria natura ſeruatur, expeterent; quin hac ratione adeò voluptati dolorem voluit natura eſſe finitimum, vt illam protinus iſte conſequatur, quod aptè quidem ea fabella declarauit [ii] Socrates, dum Deum inquit, cum hęc inter ſe pugnantia vellet conciliare, neq; id facere poſſet, in vnum ſaltem eorum apices coniunxiſſe, prop二toreàque alterum alteri, quadam veluti viciſſitudine ſuccedere. Sed præter hæc, demonſtrant quoque alia voluptatibus inhiantem naturam: vbi enim voluptate ſenſus afficiuntur, tanta iucunditate perfunduntur, vt partes omnes relaxentur, & veluti, ad vnam introducendam voluptatem, aperiántur, atque dehiſcant. hinc illa [kk] relaxatio cordis, [ll] pulſuum mollitudo, [mm] virium diſſipatio, totius corporis diſſolutio. quæ, ſi in voluptatibus vera ſunt, vt quàm veriſſima; in doloribus (ſi contrarium contraria ſint conſequentia) contrarijs motionibus commoueri naturam credamus oportet;

hh Gal. 1. de cauſſis ſymptom. cap. 6.

* Plato in Philebo.

ii Plato in Phedone.

kk Hipp. 6. epidem. cõmentar. 5. tex. 7.

ll Gal. 1. de præſag. ex puls. c. p. vltimo.

mm Gal. 1. de ſemine cap. 16. & 5. de locis aff. cap. 1.

Senſus vt auidius voluptates expetant, doloribus cruciantur.

Voluptatẽ dolor protinus conſequitur.

Socratis de dolore, & voluptate fabella.

Sẽſus voluptatibus inhiant.

Voluptatẽ quæ corporis alteratio ſequatur.

In dolore quomodo corpus afficiatur.

tet; &, ſi ibi vniuerſa relaxabatur, & centum quaſi ora, ad vnam oſculandam, vel potiùs vorandam voluptatem aperiebat; in dolore, ipſam vniuerſam toto agmine perſtringi, contrahi, & ad illum quaſi ſubterfugiendum vſquequaque concludi neceſſe eſt: quemadmodum enim natura voluptatem (vt dicebat [nn] Epicurus) aſciſcit, ita dolorem reprobat; neque id non peruagato experimento conſtat: vbi enim præciſam lacertę caudam perleuiter pungas; continuò illa naturæ non ignara conſilij ſe ſe contrahit, atque conuellit. idque conſilij reliquis pariter animalibus inditum, nec minùs cauda illa, ſe ſe dolentia membra contrahere, etiamſi oculis non cernamus, certiſſimè tamen arbitrari debemus: ita enim eorundem membrorum contractionem ad alimenta credimus, illius ſenſum non habentes. quid verò commodi ex ea in doloribus contractione conſequatur natura non eſt difficile explicare; & profectò, ſi crederemus cum [oo] Areteo, denſum omne, quia aſperitatis capax non eſt, eſſe à doloris ſenſu pariter alienum, & oſſium indolentiam, quam terræ tribuit [pp] Ariſtoteles, denſitati tribueremus; poſſemus etiam, ad doloris ſenſum fugiendum, ea contractione denſiorem reddi naturam affirmare; ſed certiora in promptu ſunt. primùm, ea contractione ſe ipſa quaſi natura colligit, nec minùs attentione, quàm fortitudine inualeſcit; denſior deinde fit, atque breuior; vt his artibus, vel ad dolorem admittendum præbeat ſe difficilem, vel minùs in breuiori corpore patiatur; denique, vt continuata ea per partes contractione, ſpiritum poſſit, quemadmodum ex Ariſtotele dicebamus, retinere.

Natura vt voluptatem aſciſcit, ita dolorem reprobat.

Contrahuntur membra in dolore.

Quid cõmodi in doloribus ſe ſe contrahẽtia membra habeant.

Indolentiæ cauſſã dẽſitati Areteus, terræ Ariſtoteles tribuit.

[nn] Ex Cic. 1. lib. de finib.

[oo] Aret. lib. 2. de morbis diuturn. cap. 12.

[pp] Ariſt. 3. de anima tex. 66.

ſed

ſed his omnibus commodis ea, quæ ſupra recenſuimus incommoda deinde ſuccedunt: cum enim ad omnes partes fibræ, quas rectas appellant, alimento attrahendo dicatę, pertineant; cùmque iſtarum contractione neceſſariò partes attrahant, vt nos alibi expoſuimus, hinc, dum doloris incitamento vniuerſa natura contrahitur, contractę etiam illę fibrę quicquid ſpirituum, & humorum in proximis eſt, exhauriunt. Neque verò quę expulſioni miniſtrant fibrę tunc à natura pariter contrahuntur: ſiquidem iſtarum contractio cum illarum, quas rectas diximus, coincidere nequaquã poteſt, ampliorèmque contractionem natura deſiderans, rectas potiùs, tanquam multò plures, exagitat; eòque non emittit; ſed intrò potius, vt inquit [qq] Galenus, animum cogit dolor. At ſi petenda horum omnium fides ſit ex auctoribus, exardeſcente dolore teſticulos, pudendáſque partes contrahi notauit [rr] Hippocrates, cui ſubſcribens [ſſ] Galenus, doloribus ad originem partes reuelli concludit, quin, ſi vera eſt, [tt] Ariſtotele, [uu] Galenòque auctoribus, inter dolorem, timorèmque proportio, quanta accidit in timore contractio, quanta declaratur ab Ariſtotele, tanta etiam ad dolorem referenda eſt. Sed quid auctoritate, quid alienis exemplis rem firmare contendo, quam ſenſus firmiſſimè ſtabiliuit? ſolent namque, nec ſinè quodam naturę conſilio, illi, de quibus in tortorij funis tormento quęſtio habetur, torquere pedes, contrahere crura, colligere ventrem, omniàque, vt dolor extenuetur, ad membrorum contractionem, breuitatèmque experiri; eodèmque potiùs naturę impetu, quàm

Quomodo à dolentibus membris humores attrahãtur, noua auctoris ſẽtentia.

In dolore expellentes fibræ non cõtrahũtur.

Cõtrahi membra in dolore notarunt auctores.

Inter dolorem, atq; timorẽ ſuma proportio.

En in ſe contractionem experientiæ conteſtãtur.

Curij, qui tortorij funis tormento vexantur omnes ferè partes contrahere ſoleant.

qq Gal. 2. de cauſſis ſymptom. c. 5.

rr Hipp. in Choacis prænotionib. & 2. prognoſt. tex. 10.

ſſ Gal. in comm. cit. tex. 10.

tt Ariſt. 27. ſect. problematum problemate 9. & per totã.

uu Gal. 2. de cauſſis ſymptom. c. 5.

quàm conſilio ſe ſe punctus neruus contrahit, atque colligit; vt hac etiam contractione dolentes partes humorem attrahant, non ab eis, quę vacuę, ac liberę à dolore ſunt, recipiant. Sed quemadmodum in moleſto doloris ſenſu natura contrahitur, ita, & in ea moleſtia, qua vos, ineptè, inſulsèq; loquutus, affeci, mea tandem contrahatur oratio.

De Papilione lucernis aduolante.

EXERCITATIO XI.

Rerum hęc omnium, quę aſpectu ſentiuntur, congeries, & vniuerſitas, quam primus[a] Pythagoras, ob perfectum eius ornatum, abſolutàmque elegantiam, mundum appellauit, nihil lumine mundius, nihil ſpectabilius, nihil deniq; potentius habet; lumen inquam, quod viuis coruſcum facibus, nulla alieni corporis concretione confuſum omnia luſtrat, illuſtrat. Lumen, quod vniuerſa hęc inferiora diſtinguit, eadem, quaſi vinculum, ſuperioribus nectit, vnòque dumtaxat aſpectu in ſtirpibus, animalibus, omnibus efficientiam, virèſque exercet ſuas. Lumen denique, quod ſummus veluti imperator, obtinens pro regia cœlū, pro corona ſolem, pro purpura ſplendorem, vimque calefaciendi pro ſceptro, omnia molitur, omnia demolitur. Huic, non minoribus ferè dignitatis inſignibus, tanquam Imperatoris vicarius, ſuccedit ignis, qui aſpectu pulcherrimus, ſplendore admirabilis,

[a] Ex Gal. de hiſt. philoſ.

Quid in rerũ vniuerſitate præſtãtiſſimum. Luminis vis.

Ignis encomium.

bilis, tenuitate ſingularis, viribus potentiſſimus, vſu perneceſſarius, & inter ſe pugnantibus etiam facinoribus illuſtris, allicit viuentia, tenebricoſa illuminat, quocunque locorum penetrat, aerem, totàmque cum vniuerſo mari terram fouet, omnes omnium ortus implet, parique ratione deuaſtat, vt dubium ſit apud [b] Plinium, plura abſumat, an pariat. Ignis [c] vitę origo, [d] ciuitatum auctor, [e] nuptiarum fœdus, amoris ſimulacrum, [f] regni, victoriçque prçſagium, [g] famç nuntius, miſtionis impatiens, [h] à putredinis labe immunis, [i] immortalitatis argumentum. Ignis, qui [k] Aegyptiorum regum inſigne, [l] futurorum apud Apollonios oraculum, [m] prç Romanis Imperatoribus ferebatur, tanquam certaminis concitator [n] Perſarum agmina anteibat, clariſſimęad modum tubę [o] inter militaria ſigna relatus, firmiſſimus veluti murus ſublunarem hunc orbem obcingit, tanquam ęterna virtus, quę omnia ſeruat apud [p] Babilones, [q] Romanóſque ſeruatus, & [r] in vnius regis obitu apud Aegyptios conſuetus extingui. Ignis, qui lucidiſſimi partus ſolis, [ſ] princeps caloris ſedes, [t] ſtellarũ creditus materia, ſumma fęcunditate inſignis, è minimis creſcit ſcintillulis, nulla circum figura ſcribitur, [u] nullius loci vaſtitate capitur, [x] nullo ad ſatietatem alimento depaſcitur, vt meritò [y] animata bellua viſus fuerit Aegyptijs.

b Plin. lib. 32. cap. 27.
c Scalig. exercit. 16. ad Cardanum.
d Vitru. li. 2.
e Lact. Firm. lib. 2. de opificio Dei c. 10. & Varro lib. 4. de lingua latina.
f Valer. Max. lib. i. cap. 6. Plin. lib. 2. c. 107. Diodor. Sicul. de geſtis Philippi anno 6. Diõ Caſſius lib. 41. hiſt. Rõ. Suet. in Tiber. cap. 14.
g Virg. lib. 7. Aeneid.
h Ariſt. 4. meteor. c. 2. & de longit. & breu. vit. c. 3
i Lact. Firm. loco citato.
k Diod. Sic. de geſtis antiq. lib. 2.
l Diõ Caſs. loco citato.
m Polidorus Virg. de inuétorib. rerũ lib. 5. c. 7.

Ignis

n Q. Curt. lib. 3. & Alexãder ab Alex. genial. lib. 4. cap. 2. o Polyd. Virgil. hiſt. Anglicæ lib. 25. p Beroſus Babilon. de antiqu. lib. 3. q Plutarc. in vita Camilli. r Diod. Sic. de geſt. Alexandri anno 12. ſ Ariſt. 2. de gener. & corr. tex. 23. t Plin. lib. 2. cap. 5. u Plato in Timeo. x Ariſt. 2. de anima tex. 41. y Polyd. Virgil. eod. lib. 5. cap. 7.

Ignis, qui obcinctus fumo, armatus, flãmis, cõpulſus ardoribus, duriſſima fundit, mollia cogit, populatur ſyluas, diruit ędes, expugnat turres, difficultates exorbet, omnia vorat, & ſi agitatione excutiatur, euadit audentior, inuadit audentiùs. Ignis denique ferri domitor, debellator hyemis, vaſtator peſtis, vrbium incendium, diuinæ vltionis miniſter, omnium terror gentium. Quæ ſi de igne vera ſunt, vt veriſſima eſſe perhibent auctores, deſinite nunc Academici admirari, dũ furentes equos, fortiſſimos Elephantes, [z] libycos leones, [aa] herculeas hydras igne terreri, atq; domari accipitis; quin etiam nunc incipite admirari, qua ratione Papilio, animal alioqui viliſſimum, tantam ignis vim, maieſtatèmque minimè reformidans, in facem à face attractus audacter aduolet, incipite admirari.

z Solin. in Polyhiſt. c. 30.
aa Diod. Sic. de geſtis antiq. lib. 5.

Papilionis ortus.

Papilio, quem non [bb] nemo Pyrauſtam, [cc] alij auiculam appellant, volatile animal eſt, quod ſiue ex virentibus folijs, vt placuit [dd] Ariſtoteli, ſiue ex rore, vt [ee] Plinio, ſumat originem, ſemper admirabili quadam conditione exoritur, vt meritò in his præſertim exquirendis curioſus [ff] viſus ſit Ariſtoteles: [gg] principio enim tenuiſſimum quid, vel milij grano minutius, conſiſtit in folio, vt quò nihilo propius, eò nobilius cenſeatur tanti ortus exordiũ. mox vermiculi indè procreãtur, accreſcunt, qui ea ex forma per triduum ſe ſe vertunt in eruculas, eæquè rurſus adauctæ, omnìque motione vacuæ in Chriſalides, ſiue Aurelias appellatas conuerſæ viuunt, mouentùrque ad tactum, nullo ferè membrorum lineamento diſtinctæ, duro tantùm cortice ab omnibus tutiores, nec ciborum, quas ſolet natura

bb Suida ſub Col. 1250. in verbo Piraus, & Aelian. de anim. lib. 16. cap. 43.
cc S. Iſid. ethimolog lib. 12. c. 8. & lib. 15. cap. 10.
dd Ariſt 5. de hiſtor. anim. cap. 19.
ee Plin. lib. 11 cap. 32.
ff Athẽ. Dipnoſophiſtac. lib. 8. cap. 8.
gg Ex Ariſt. citat. cap. 19.

reſpuere, obnoxiæ reliquijs, nec cibũ aliqua ex parte capeſsentes. ex his denique diſrupto cortice euolat Papilio. Tantum, tàmque mirabilem formarum apparatum vnius Papilionis ortus expoſcebat. Iam verò enatus auratã habet aluum, reliquum corpus argenteum, lineæ veluti quædam ob oculos protenduntur, quas ignaua cornicula appellat [hh] Plinius, antennas [ii] Ariſtoteles quaternis volat alis, quarum argẽtum encauſtica veluti pictura diſtinguitur. Hoc itaque animal eſt, quod vnum potentiſſimam ignis vim nec fugiens, nec extimeſcens, cum flamma, vt loquitur [kk] Aelianus, vel maximè viget lucernis obuolitat.

Papilionis deſcriptio.

hh Pli. lib. 11 cap. 28.
ii Ariſt. 4. de hiſtor. anim. cap. 7.
kk Aeliã ibidem cap. 43.

[ll] Ignauum, inhonoratum, apibùſque peſtiferũ, & rurſus [mm] infirmum Papilionem hunc luminibus accenſis aduolantem appellat Plinius. Sed ſimilitudo, quæ pleroſque, teſtante [nn] Platone, decepit, vel Plinium potuit in hac re fallere: nõ enim hic ad lucernas volitans, ſed non admodum diſſimilis alter eſt Papilio, qui apibus obeſt, id animaduertente etiam [oo] Ariſtotele, dum obeſt inquit, apibus & alia beſtiola ſimilis hepialo Papilioni, qui lucernarum luminibus aduolitat. dum verò animal hoc ignauum, inhonoratum, infirmum Plinius appellat, ſuum inducat ipſe leonem, quem [pp] ſæpe generoſum, nobilèmq; commemorat? quid? hoc ipſo leone Papilio nonne præſtantior? ita profectò plurima, quæ de leonibus deferunt experti; hoc vnum verò, quod de Papilione iam propoſuimus, poterũt perſuadere. hic flammam, vt diximus, non fugit, non formidat, non metuit, non veretur; ſed ad illam aduolitat; nobilis autem, & generoſus ille non modò

Plinius de Papilione deceptus.

Papilionis cũ Leone collatio.

ll Plin. lib. 11. cap. 19.
mm Plin. lib. 18. cap. 25.
nn Plato in Phedro.
oo Ariſt. 8. de hiſtor. anim. cap. 27.
pp Plin. lib. 8 cap. 16.

Quàm timidus ſit Leo.

modò [qq] flammam, quod alijs cum animalibus habet commune, formidat, ſed etiam Gallum, [rr] Scorpionem, ſuem, [ſſ] murem, timpani ſonitum, [tt] leuiſſimum ſtrepitum, [uu] rotarũ orbes circumactos, currus inanes, & [xx] quoddã pariter lignum exhorreſcit; ac ſi verum eſt, quod idem [yy] Plinius aſſeuerat; leoni videlicet omnem vim conſtare in oculis, quibus vel leuiter deuictis, nec repugnans deuincitur; coniectemus nos, quò eius vis noſtro ſit Papilione inferior, dum quibus tantùm valet oculis neque minimarum, viliùmque rerum ſuſtinet aſpectum; Papilio verò vel ad potentiſsimum ignem volitat. Sed quid moror iſtis, cum ipſemet leo, vel ferocioribus animalibus infeſtiſsimus vni dumtaxat Papilioni cedere videatur? & vt inquit [zz] Martialis.

Leonis vis vbi conſiſtat.

In tauros libyci irruunt leones,
Non ſunt Papilionibus moleſti.

Vtinam ab ea, quam de Papilione propoſuimus, difficultate ita noſmetipſos liberemus, vt à leone Papilionem facillimè expediuimus. Sed vt temeritatis pœnas fortaſſe pendamus, nam leonem contra [aaa] Platonis edictum totondimus, maiore difficultate afficimur; & ſi augures ex [bbb] Suida, leonis aſpectu hoſtium prælia portendi nuntiant, ex hoc leonis impetu quanta ſint nobis prælia ſuſtinenda coniſciamus. Verùm vtcunque ſe res habeat, pluribus eſt difficultatis ſumma tentanda: ſemper enim plurium induſtria potentior eſt, vt inquit [ccc] Homerus.

Leo nõ tondendus.

Augures ex leonis aſpectũ prælia portendunt.

Plurium induſtria potẽtior eſt.

Ergo illud erit in hac re fortaſſe dicere non infirmum, quod pleriſque in animalibus experimur; quemadmodum ſcilicet non pauca animalia ſunt,

qq Plin. eod. c. 16 & Solin. Polyhiſtor. cap 30.
rr Albert. de anim. lib. 22. de Leone.
ſſ Raſis 8. ad Almanſorẽ cap 8
tt Senec. lib. 2. de ira c. 11
uu Pl loc cit.
xx Raſis eodem loco.
yy Plin. eodẽ loco.
zz Martial. epigrã. lib. 14. de Ligurra.
aaa Plat. 5. de republ.
bbb Suida in hiſtoricis ſub Coſ 864. in verbo λέοντας.
ccc Hõ. Iliad. m. lib. 12.

quæ peculiaria quędam numina agnoſcunt, & tanquam Deos venerantur: ita enim Soli equos ſacratos [ddd] ferunt Perſæ, eundèmque à Gallis adorari credebat [eee] Pythagoras; quare his inſitum eſſe dicebat [fff] Proclus, numen Apollinis aduocare, & quibuſdam veluti hymnis exurgenti applaudere. ita recreſcentem lunam ex [ggg] Aeliano venerari creduntur Elephanti, dum ſyluarum ramos decerpunt, attollunt, in lunam ſuſpicientes leuiter commouent, & veluti ſupplices eam ſibi propitiam orãt. Pari itaque ratione poſſemus fortaſſe dicere, hoc ignei luminis genus ſuum tanquam ſydus, numènq; à Papilione adorari: nec gentes enim, quæ ignem adorent, nec philoſophi deſiderantur, qui ignea eſſe ſydera affirmarint; quin tanta religione ignis [hhh] apud veteres colebatur, vt illum extinguere vererentur, ne naturę cęlitùs viuę vim viderentur afferre, eundèmque inquinare apud [iii] Perſas erat ſęuiſsima morte acerbius, quam fortaſſe religionem ipſius ad lucernam aduolantis papilionis geſtus declarant; aduolat enim audacter, vix audet tamen ignem veluti plauſu venerari; quin vt adorantibus [kkk] Numa Romanę religionis auctor inſtituit, ſe ſe quodammodo vertit in orbem dum aduolat, atque reuolat.

Vel potiùs papilionem ad tantum facinus vrgeri dicemus non vi religionis, ſed amoris imperio? quis enim eſt, cuius ita peregrinantur aures, vt nec in peruulgato amantium ſermone verſentur, dum aſsiduas illi iacientes ore querelas, ſemetipſos in papilionis aſsimili calamitate tabeſcentes lamentantur, vt agnoſcant etiam ipſi, papilionem aman-

tium

ddd Ex Iuſtino hiſt. lib. 1.
eee Pythag. in ſymbolis.
fff Proclus de ſacrif. & Magia.
ggg Aelian. lib. 1. de anima cap. 9.
hhh Ex Marſ. Ficino in Plotinum lib. 1. Ennead. 2.
iii Suida in hiſtoricis ſub Col. 245. in verbo αὖθι.
Kkk Ex Plutarc. in vita Numę Pōp. & Alex. ab Alex. lib. 4. genial. c. 17.

Eſt nonnullorũ animaliũ in quędã peculiaris veneratio.
Equi, & Galli ſacrari dicuntur Soli.
Elephãti Lunam venerari creduntur.
Ignem maximè venerabãtur antiqui.
Inquinare, vel extinguere ignẽ vetabãt antiqui.
Adorantium inſtitutum.
Amantes Papilioni aſsimiles.

tium modò commoueri. Seu quis amantem non aſpicit papilionem, dum vix ille vnius luminis captus aſpectu, non ad aliud volat, in eo tantùm hęret, tantùmque amore amens, vt pro vnius complexus, vnius oſculi pręda ſuimet non vereatur incendium? Hęc autem omnia non modò mihi confirmarunt, ſed perſuaſerunt etiam illi, [lll] qui primo ignis aſpectu adeò ſunt præclara ſpecie moti, & exigua pulchritudine capti, vt continuò ad eius complexum, & oſcula cucurrerint, quin ſinu etiam flammas abdere, donec nocerent, maximè libuerit; vt pretereā interim Satyrum, qui cum primò ſibi viſum ignem oſculari vellet, ac amplecti, monuit eum [mmm] Prometheus.

Papilio amator luminis.

Quārùm primo ignis aſpectu homines ſint cōmoti.

[lll] Ex Pōponio Mela lib. 3. cap. 10.

[mmm] Ex Plutarc. in lib. de capienda ex hoſt. vtilit.

Barbam caper tuam deflebis protinus,
Tangentem adurit ignis.

Tantùm poteſt ignis aſpectus homines quoque, non ſolum papilionem commouere.

Sed vt ex ijs, quę ad mores pertinere videntur, ad ea, quæ magis naturę ſunt, trāſeamus; quid iuxta naturę leges ad ignem papilione debet conuenientiùs aduolare? Obtinet quidem ignis ſummā inter omnia corpora leuitatem; ita tamen, vt hoc in genere vni dumtaxat cęlo cedere videatur, eòq; ſemper hac lege ad ſuperiora fertur, vt infra cęlum conſiſtat, ipsùmque, quamuis alterius naturę dignitate pręfulgens, ſemper ambiat, ac veluti amplexetur. eadem prorſus hęc, quæ in cęlum exercet ignis, in ignem exequitur papilio: primùm enim, vt ille inter omnia ſimplicia eſt leuiſsimus, ita & inter omnia viuentia leuiſsimus eſt papilio, quem eo nomine quaſi ſpiritum, ventùmque dictum putat Heſi-

Papilionis, & ignis proportio.

Papilio cur ità dictus.

Eſt nonnullorũ animalũ in quędã peculiaris veneratio.

Equi, & Galli ſacrari dicuntur Soli.

Elephãti Lunam venerari creduntur.

ddd Ex Iuſtino hiſt. lib. 1.

eee Pythag. in ſymbolis.

fff Proclus de ſacrif. & Magia.

ggg Aelian. lib. 1. de anima cap. 9.

quæ peculiaria quędam numina agnoſcunt, & tanquam Deos venerantur: ita enim Soli equos ſacratos [ddd] ferunt Perſæ, eundèmque à Gallis adorari credebat [eee] Pythagoras; quare his inſitum eſſe dicebat [fff] Proclus, numen Apollinis aduocare, & quibuſdam veluti hymnis exurgenti applaudere. ita recreſcentem lunam ex [ggg] Aeliano venerari creduntur Elephanti, dum ſyluarum ramos decerpunt, attollunt, in lunam ſuſpicientes leuiter commouent, & veluti ſupplices eam ſibi propitiam orãt. Pari itaque ratione poſſemus fortaſſe dicere, hoc ignei luminis genus ſuum tanquam ſydus, numènq; à Papilione adorari: nec gentes enim, quæ ignem adorent, nec philoſophi deſiderantur, qui ignea eſſe ſydera affirmarint; quin tanta religione ignis [hhh] apud veteres colebatur, vt illum extinguere vererentur, ne naturę cęlitùs viuę vim viderentur afferre, eundèmque inquinare apud [iii] Perſas erat ſęuiſsima morte acerbius, quàm fortaſſe religionem ipſius ad lucernam aduolantis papilionis geſtus declarant; aduolat enim audacter, vix audet tamen ignem veluti plauſu venerari; quin vt adorantibus [kkk] Numa Romanę religionis auctor inſtituit, ſe ſe quodammodo vertit in orbem dum aduolat, atque reuolat.

Ignem maximè venerabãtur antiqui.

Inquinare, vel extinguere ignẽ vetabãt antiqui.

hhh Ex Marſ. Ficino in Plotinum lib. 1. Ennead. 2.

iii Suida in historicis ſub Col. 245. in verbo αὖθι.

Adorantium inſtitutum.

Kkk Ex Plutarc. in vita Numę Põp. & Alex. ab Alex. l. b. 4. genial. c. 17.

Vel potiùs papilionem ad tantum facinus vrgeri dicemus non vi religionis, ſed amoris imperio? quis enim eſt, cuius ita peregrinantur aures, vt nec in peruulgato amantium ſermone verſentur, dum aſsiduas illi iacientes ore querelas, ſemetipſos in papilionis aſsimili calamitate tabeſcentes lamentantur, vt agnoſcant etiam ipſi, papilionem aman-

Amantes Papilioni aſsimiles.

tium

Digitized by Google

tium modò commoueri. Seu quis amantem non aſpicit papilionem,dum vix ille vnius luminis captus aſpectu,non ad aliud volat, in eo tantùm hęret, tantùmque amore amens,vt pro vnius complexus, vnius oſculi prędа ſuimet non vereatur incendium? Hęc autem omnia non modò mihi confirmarunt, ſed perſuaſerunt etiam illi, [ll] qui primo ignis aſpectu adeò ſunt præclara ſpecie moti, & exigua pulchritudine capti, vt continuò ad eius complexum, & oſcula cucurrerint, quin ſinu etiam flammas abdere,donec nocerent,maximè libuerit; vt prętereā interim Satyrum, qui cum primò ſibi viſum ignem oſculari vellet,ac amplecti,monuit eum [mmm] Prometheus.

Papilio amator luminis.

Quārùm primo ignis aſpectu homines ſint cōmoti.

[ll] Ex Pōponio Mela lib. 3. cap. 10.

[mmm] Ex Plutarc. in lib. de capienda ex hoſt. vtilit.

Barbam caper tuam deflebis protinus,
Tangentem adurit ignis.

Tantùm poteſt ignis aſpectus homines quoque, non ſolum papilionem commouere.

Sed vt ex ijs, quę ad mores pertinere videntur, ad ea,quæ magis naturę ſunt,trāſeamus; quid iuxta naturę leges ad ignem papilione debet conuenientiùs aduolare? Obtinet quidem ignis ſummā inter omnia corpora leuitatem; ita tamen, vt hoc in genere vni dumtaxat cęlo cedere videatur, eòq; ſemper hac lege ad ſuperiora fertur,vt infra cęlum conſiſtat,ipſùmque, quamuis alterius naturę dignitate pręfulgens, ſemper ambiat,ac veluti amplexetur.eadem prorſus hęc,quæ in cęlum exercet ignis, in ignem exequitur papilio: primùm enim,vt ille inter omnia ſimplicia eſt leuiſsimus, ita & inter omnia viuentia leuiſsimus eſt papilio,quem eo nomine quaſi ſpiritum, ventùmque dictum putat Heſi-

Papilionis, & ignis proportio.

Papilio cur ità dictus.

nnn Heſich.

nnn Heſichius; quin Octauius ille Auguſtus, quo non prudentiùs, non feliciùs alter ſummi imperij rexit habenas, vt ooo quod ſæpe ſermonibus vſurpabat, Feſtina lentè, exprimeret, quod alij Delphino, & anchora indicarunt, ipſe papilione maritimi cancri chelis præhenſo ſignificauit. vt enim nihil cancro tardius in mari, ſic nihil papilione leuius, maiorèque pernicitate in aere fertur; ita tamen leuis eſt papilio, vt igni nequeat primas in leuitate concedendas diffiteri. quare vt ignis cœlum ſe ipſo leuius obcingit, ita & papilio ignē, minùs ſuo corpore grauem, volatu circuit, amplexatur. tantùm profectò par erat, quæ adeò leuitate conſentiebant, ſede etiam quodammodo conuenire.

ooo Suet. in vita Octau. Aug. cap. 25. Aulus Gell. noctiū Attic. lib. 10. cap. 11. & Macrob. lib. 6. Saturn.

„Feſtina lentè, vt ſignificarit Auguſtus.

Vel, vt probabilia ſaltem, niſi omninò certa, attingamus. nihil quidem lumini videtur affinius, nihil eo propiùs cohęrere, quod diaphanum philoſophi appellant, atque perſpicuum; ppp hoc enim vel luminis materia eſt, vel aptiſſimum domicilium. quare ſi ſenſile eſſet lumen, nihil haberet diaphano charius, nihil perueſtigaret auidiùs; quemadmodum, & diaphanum ſi vitę frueretur vſura, non niſi ad lumen, tanquam ad formam, moueretur, tanta ineſt vtrique conſenſio. At quoniam papilio ex rore, vt inquit qqq Plinius, ſuę procreationis ſumit exordiū; ros verò ſummè inter omnia diaphanus, atque perſpicuus videtur, idcirco ſuę materię conditionem inſequens papilio, vel potiùs eius materię impetu quodam actus, ad lumen, quando animatus eſt libentiſſimè aduolat; non ſecus ac ad idem, tanquam ad propriam formam,

Quid lumini magis affine.

ppp Ex Ariſt. 2. de anima tex. 69.

qqq Plin. lib. 11. cap. 32.

Digitized by Google

mam ſi animatum eſſet diaphanum moueretur.

Poſſet denique & illud, ab eiuſdem quoque natura non alienum, afferri; aduolare ſcilicet lucernis papilionem, vt indè ſuauiſſimum ſibi captet alimentum: cum enim [rrr] horum animalium vniuerſitas florentibus maluis abundet; quin cum primo vere, florum omnium parente vigeat, pèrque ipſorum florum agmina longè, latèque ſpatietur, vt iure [ſſſ] nonnulli certiſſimum veris indicium ex papilionis prouentu arbitrentur; conſequens eſt, vt credamus aliquid alimenti è floribus hæc animalia ſugere. Sed quorſum hoc? vt hinc profectò intelligamus, captandi alimenti gratia papilionem ad accenſa lumina aduolare; non quòd luminis ſimilem floribus naturam ineſſe crediderim, ſed quia ſimilis tantùm inſit aſpectus; [ttt] vt flores etiam ſyderibus ſimiles credidit Protagoras, ita non diſpari ſplendore, & apparatu ſępiſſimè perſuadente, eàque ſimilitudine decepti papiliones ad lumina, tanquam ad flores, aduolant, à quibus dum ea ſpecie trahuntur, trahere concupiſcunt alimentum, &, vt non temerè [uuu] inquit Aelianus, ex flamma non nihil apprehendere videntur. Sed interim papilio vſque eò circum ignem volitauit, quò accenſis alis, felici fortaſſe incendio volatum, vitàmque finiuit.

Papilionis tempeſtas.

Veris indiciū quo ſigno habeatur.

rrr Ex Columella lib. 9. c. 19. & S. Iſidoro locis ſupra citatis.

ſſſ Ex Plin. lib. 18. cap. 25

ttt Ex Alber. de vegetabi. lib. & plátis lib. 2. tract. 2. cap. 6.

uuu Aelian. loco citato.

Qua

Qua arte Remora trahat nauim?

EXERCITATIO XII.

QVanta ſit vaſtiſſimi huius fontis,quē mare dicimus, admirabilitas, vel ipſius poteſt aſpectus quàmpleniſſimè edocere: tanta etenim aquarum immenſitas nulla, ne maxima quidem, effuſione minor, nec prægrandium fluminum defluxu vberior, ſe ſe ipſam libero diſcurſu coercens; continuis iactata motibus, nec propria ſede dilabens, vnamque terram veluti dominam verita, vniuerſum fere terrarum orbem alluens, nec inundans, cui non admirationi eſſe poterit? longè autem admirabilior videtur nauis, quę per hoc ipſum mare fertur, conditio: hęc ſiquidem æſtuantium inter aquarum inconſtātiam firmiter ſtabilita, turbatis ventorum irruptionibus lege quadam exceptis, vndarum impetus frangit, molem opprimit, viſcera dilaniat, nec ſuis retardata ponderibus, nec mari impedita vaſtiſſimo, tanta celeritate immerſa ſpatia præteruolat, vt fere priùs ad portum appulſam ſentias, quàm impulſam. Sed his profectò omnibus illud cenſeri debet magis, atque magis admirabile, dum hanc ipſam, plenis velis euectam, curſùque rapidiſſimo concitatam nauim piſciculus, carinæ adhærens attrahit, remoratur, vt inanis non modò ſit remigum impulſus; ſed etiam ventorum vis, eo piſciculo, quem non imme-

Maris admirabilitas.

Quātam debeat nauis, quæ per mare fertur admirationem parere.

Remora vbi.

immeritò Remoram [a] appellant, eius curſum reprimente, quam ingruentibus ventis, non vincula catenis contexta duriſſimis, non anchorę grauiſſimis demerſę ponderibus retardarent; vt iam non adeò mirabilis eorum militum conatus videatur, [b] qui vehementi ictu remorum concitatam fugę punicam claſſem nantes in lictus retraxerunt; cum etiam piſciculus non brachiorum robore, nec pedum firmitate, aduerſum remos, ventòſq; parem impetum moliatur. [c] Senſit Actiaco Marte huius rei admirationem Antonius, prętoria naui, qua ſuos exhortari properabat, his viribus impedita. [d] Senſit & Caius Cæſar ab Aſtura Antium remigans, indignatus etiam quadringentorum remigum obſequio piſciculum intercedere. [e] Senſerunt tandem, & alij, neſcio an rei magis nouitate, an magnitudine ſtupefacti. Sed quantùm hos omnes rei mirabilitas excitauit, tantùm nos difficultas exterret: quibus enim argumentis efficacitatem eam ſinè vi, vim ſinè impetu, impetum ſinè mole poterimus deſignare? quęnam veriſimilis cauſſa poterit in re, tam à ratione aliena, tam à doctiorum intelligentia remotiſſima excogitari? Verùm enimuerò neque huius cauſſę notitiam deſperabimus, neque occultarum cauſſarum aſylum [f] Scaligeri auctoritas, vel blanda oratio ſuadebit; quin etiam vltrò inanem conatum, ac temerè, vt inquit, inſtitutum omnia ad manifeſtas vires deducendi, quod in hac pręſertim re appellat impudentiam, reſtaurabimus. Nec pariter illa, cœlo delapſa ſeminaria, quę ex Plotino comminiſcitur in hac re [g] Marſilius, recipiētes, nec reſpiciētes, quę minùs à ſenſibus diſtāt excutiemus.

Nauis à piſciculo impedita.

Problematis difficultas.

Remoræ cauſſa non eſt occulta.

Remoræ vis non è cœlo.

a Ariſt. 2. de hiſtor. anim. cap. 14.

b Ex Valer. Max. lib. 3. cap. 2.

c Ex Plin. lib. 32. cap. 1.

d Ex Pli. ibid.

e Ex Plin. lib. 9. cap. 25.

f Iul. Cęſ. Scalig. ad Cardanum exercit. 218. num. 8.

g Marſ. Ficin. in Plotinum lib. 2. Enneade 2. cap. 13.

h Plutarc. in quæſtio. ſympoſ. decade 2. problem. 9.

Hunc itaque lapidem primus mouens [h] Plutarchus nec rem hanc incredibilem ratus, nec quæſtionem naturalis rerum diſſidij, quod antipathian vocant, nomine eludendam; hoc iure nauim credidit tricis veluti nonnullis, in quibus ſolet Remora ſtabulari, potiùs quàm eius viribus impediri: quamdiù enim arida nauis eſt, nullis imbuta humoribus, omnique illuuie pura, tunc leuior eius moles, faciliùs motui obſecundans, concitatiore curſu euehitur; at vbi largioribus imbibitis humoribus non leuiter immaduerit, algarùmque copia, muſcique adhęreſcentis appendicibus ſe ſe ipſam inuoluerit, tunc aucta mole grauior, eòque lentore motus impetu magna ex parte refracto, contentus ille curſus remittitur, atque lenteſcit: hac ſiquidem induſtria nauium parietes deraſis extrinſecùs ſordibus poliuntur. hiſce igitur in impedimentis eo piſciculo ſtabulante, remorandi nauem ſuborta credulitas, quaſi ipſe poſſit quod proxima corpora exequuntur. Hęc Plutarchus, quibus & non inelegans ſuperioris memorię [i] philoſophus aſſentitus, antiquiorem videtur ſententiam reſtauraſſe; quamuis eam non ita, vt nequeat quàmfacillimè ruere confirmarit: etenim quouſque carinę piſciculus ille adhęſerit (quemadmodum ipſe etiam [k] Plutarchus, huius ſententię auctor annotauit) nauis impetus retinetur; poſt eum verò vnum captum, irruentibus ventis nauigatio obſecundat; eàque re nauigantibus intercedentem Remoram [l] conſueſcunt nautę, ad carinam innatantes euellere, ipsàque dumtaxat euulſa impeditam nauim abſoluere; at ſi nauigium illa alia, non piſciculus, retinerent; eis

Plutarchi ratio de remora currẽtem nauim impediente.

Plutarcho aſſentiuntur alij.

i Leuinus Lẽnius lib. 3. de occultis nat. mirac. cap. 9.

Plutarchi ſententia impugnatur.

k Plutarc. loco citato.

l Ex Plin. cit. lib. 32.

tantùm

tantùm ſublatis, nou euulſo piſciculo expediretur.

Sentẽtia Fracaſtorij.

Haud diſpari ratione quę in hac re comminiſcitur [m] Fracaſtorius improbantur: etenim quibuſdam primò aſſerit ſcopulis degere Echeneides, è quibus ea vis ad nauigia vſque expirat, qualem magnetis mõtes ad ferrum, vel nauigijs infixum, emittunt; & quemadmodum magnetis vis vbi tenaciſſimè infixum ferrum nequiret extrahere, nauigium procul dubio ſiſteret; ita & ex eis, circa quos verſantur Remoræ, ſcopulis conſimilis vis emanans, attractione quadam poterit concitatas naues retardare. Eadem inquam ratione & hoc Fracaſtorij commentum refellitur: cur etenim ſemoto è naui piſciculo impedimentum ſuperatur, nulla interim ratione ſcopulorum viribus obrutis, vel extenuatis? euidens ſanè, vel ipſis ſenſibus, argumentum, Echeneidis vi, non ſcopulorum figmento nauis impetum retardari. præterquam quod omnia quidem nauigia, quę ad eos ſcopulos appellerentur, deberẽt huiuſmodi pariter impedimenta ſubire, non autem pleriſque excurrentibus, vnius curſum impediri.

m Fracaſt. de ſympat. & antipat. c. 8.

Fracaſtorij ſententia refellitur.

Nõ trahitur nauis à ſcopulis, in quibus degunt Echeneides.

Non trahit nauim Remora ratione inanitatis.

Dum deinde Echeneidem fingit idem auctor ita infixam nauigio, vt inanitatis imminente diſcrimine nequeat faciliter euelli. quis obſecro vos, imminentẽ inanitatem, quantumuis tenaciſſimè adhęreſcẽtis naui piſciculi euulſione ſibi poterit perſuadere? equidem è mari vitem potiùs expectarem, è fontibus ſitim, ex arena funiculum, & volatum è terra, quàm inanitatis ex illa euulſione diſcrimen.

Rondeletij ſententia.

[n] Rondeletius, qui vnus videtur huius rei veritatem proximè attigiſſe, gubernaculo inquit, Echeneidem adhęreſcere, eòque pacto nauis impetum

n Gulielmus Rondeletius de piſcib. lib. 15. cap. 18.

R 2 cohi-

cohibere; quia tamen, nec verum adhęreſcentis piſciculi modum explicat; cum ore dicat (quod à veritatis ſenſu alieniſſimum eſſe infra patebit) gubernaculo affigi; quin cum potiùs retardatæ nauis, quàm omnino retentę afferat rationem; idcirco eã nos ex eiſdem fere principijs conabimur planiùs explicare.

Rondeletij de Remora error.

Primùm verò propriam eius piſciculi figuram, tot ſęculis dubiam, auctoribus variam, noſtris tamẽ temporibus certã, erit operæpretium enarrare; qua in re quantum omnes ad noſtra vſque tempora cœcutierint vel ipſorum varietas facillimè deſignabit: [o] quidam etenim anguillæ ſimilem, [p] limaci alij crediderunt, [q] ſunt qui muricem purpura latiorem, cubitalem alij, * illi paruum admodum piſcem, & magnitudine gobij, ſexquipedalem deniq; nonnulli arbitrantur, vt tanta varietas non niſi omnium errorem valeat atteſtari; inter quos ſummo in errore, maximàque huius rei ignoratione verſari videtur [r] Cardanus, qui ex concharum genere, Echinum facit Remoram, qua nihil ab Echinorum genere alienius. Nos verò, qui apud familiarem noſtrum Echeneidem, vel ipſo aſpectu certiſſimam vidimus, non ægrè poterimus rem oculati teſtes referre. Piſcis hic erat ſubſtantia proximus anguillæ, vel ei, quem Lucium appellamus, longitudine fere palmari, acuto roſtro, quaternis prope caput pinnis, duabus alijs ad caudam per latera excurrentibus; quod autem ad peculiarem Remoræ certitudinem notabatur, ſpatium quoddam ſupra caput alterius digiti latitudine, trium verò longitudine intra oculos ferebatur, quod vniuerſum erat acetabulis qui-

De Remorę figura auctorũ varietas.

o Aelianus lib. 12. de animal. c. 45.
p Plin. eodẽ lib. 32.
q Alij, quos refert Plin. ibidem.
* Suida ſub Col. 593. in verbo Echineis.
r Cardan. lib. 10. de ſubtilitate.

Cardani de Remora error.

Echeneidis, quam vidit auctor, deſcriptio.

quibuſdam,certo quodam ordine,refertum,eis,quę in polyporum brachijs intuemur, aſſimilibus, eorùmque ſuctu nauigijs adhęreſcere ſenſus etiam referebat; ita vt aſpectu Remoram iudicares; eàque re huius, quem nos vidimus,piſcis ichonem,ex eodem noſtro familiari mutuatum, Remoræ nomine noſter euulgauit Imperatus.

Modus, quo Remora naui adhæret.

His itaque inſtructiores,illud iam planiùs ſtatuamus,non ore,vt credidit [s] Rondeletius,ſed eis acetabulis, ſuctùq; quodã hunc piſcem nauigijs adhærere; & quamuis poſſit eadem vi etiam carinæ, ſi credimus [t] Plutarcho; vt tamen valeat non tantùm remorari, ſed omnino concitatæ nauis impetum reprimere, eius gubernaculo, quemadmodum retulit [u] Plinius, eum crederem adhęreſcere; indè verò qua ratione curſum cohibere, ſiſterèque nauigium valeat,ex ipſius gubernaculi viribus,atque figura expedire paucis aggrediar.

s Rondel. loco citato.

t Plutarc. ibidem.

u Plin.cit. lib. 32.

Gubernaculi vis in motu nauis.

Licet ergo nauis remigum vi, ventorùmque impetu concitetur, ſuum tamen curſum tenere nunquam poterit, ni certis modis aptatum gubernaculum peritorum lege tractetur: huius enim vnius incommodo poſſet, irrito remigum conatu, ventorùmque impetu inani,vel concitatiſſimus nauis curſus cohiberi: quippe non eò tantùm, quò gubernaculum vertitur, nauis conuertitur; [x] quo artificio naues quandoque appoſitis vtrinque gubernaculis parantur,conuerſo vt repentè remigio hùc,vel illùc appellant;ſed etiam ea conuerſione flantibus ventis vela accomodantur, ipsùmque nauigium adeò gubernaculi firmamento inter fluctuum inęqualia conſtat, vt hac potiſſima ratione remigum operæ obſe-

Naues duobus prædite gubernaculis.

x Dion Caſſius hiſt.Rõ. lib. 75. Tac. lib. 2. annal. & Suida sub Col. 381. in verbo Δίκροτα.

obſecundans impellatur. Porro inter cœteras, quę pro hoc munere conditiones in gubernaculo exiguntur, illæ duę principes, ac præ omnibus neceſſarię videntur, altera ſcilicet, vt ipſum non crebrò, & inequalitate quadam in cōtrarias partes moueatur: tunc enim & nauis, veluti fluctuans, hùc, illùc impulſa nequibit vētorum, vel remigum impulſum ſecundare. Iſque modus eſt, quo dumtaxat poterit (quemadmodum ex Rondeletio dicebamus) concitatę nauis impetus ab Echeneide retardari: etenim ea per acetabula ſuctu quodam gubernaculo affixa, ibique continuo motu in contrarias partes ſe ſe agitante, debet, veluti appendice quadam gubernaculi commota, nauis pariter commoueri, eiuſque inęquali concuſſione curſus non leuiter impediri; cuius modi probabilitatem & illud poterit atteſtari: qui enim ſe ſe intra nauiculam inęqualiter motāt, curſum pariter, nauigij iactatione, ſummòq; nautarum incommodo remorantur. Altera, quæ in eodem exigitur gubernaculo conditio eſt, vt ipſum rectitudine quadam prędītum fere nullam obtineat latitudinē, cuius & rationem explicat y Ariſtoteles, dum non ſecundum latitudinem inquit, mare accipit gubernaculum: non enim in ante nauigium mouet, ſed ipſum commotum mare accipiens inclinat obliquè; quin tāta mihi videtur eius figurę neceſſitas, vt ſola poſſet gubernaculi latitudine nauis impetus retineri: vt enim nulla vnquam ventorum vis laterales potuit per partes nauigium inflatis velis euehere, ita & gubernaculi latitudine obſiſtente, nulla vis nauim vel tantulùm commouebit; & quemadmodum grauiſſima alioqui corpora

Gubernaculi conditio.

Modus, quo Remora cōcitatā nauim impediat.

Gubernaculum cur non debeat eſſe latum.

y Ariſt. in quæſtionib. mechan. q. 5.

ra

Latitudo ſæpe impedit, ne graue corpus deſcēdat

ra intuemur, ſuum ne ad centrum ferantur latitudine tantùm prohiberi, ita etiam nauis impetus ſola ea latitudine cohibetur; nec minùs fortaſſe mirabile eſt, plumbi laminam, etſi naturali, eòque potentiſſimo grauitatis impetu depulſam, in aquis tamen, vnius latitudinis impedimento cohibitam ſupernatare, quàm nauim ventis actam gubernaculi latitudine impediri; afferet verò gubernaculi latitudinē ille piſciculus, dum imę eius parti obliquè inhęrens in dextram ſe ſe porrigit, vel ſiniſtram, vt his modis ipſe vnus poſſit non modò nauim, quod videtur facilius, remorari, ſed etiam continere.

Plūbi lamina cur non deſcendat in aquis.

De Medicamentis peculiares quoſdam humores trahentibus aliorum ſententiæ refelluntur.

EXERCITATIO XIII.

Naturæ induſtria in formando homine.

Quantùm in homine natura conſtruendo excogitarit induſtriæ, elegerit artificij, vel ipſamet quotidie eius operis molitione declarat; cū intra vteri clauſtra informem, exiguàmq; materiem pertractat, pigmentis non temerè aſperſis lineamenta membrorum effingit, ſinè manibus format, ſinè penicillis, nullíſque vſa coloribus colorat, & omnia non ad vſus modò, ſed ad venuſtatem quoque diſtinguit. At non minorem induſtriam, non leuius artificium

in

Digitized by Google

in hoc ipſo homine conſeruando eadem videtur adhibuiſſe; cum ad multos morbos, vel in venis, medulliſque inſidentes, depellendos medicamenta pararit, quæ non pręmonita ſenſibus, non præmunita manibus certos quoſdam humores veſtigant, &, vt verum fatear neſcio, an attrahant, an propellant. Ecquis obſecro vos, ſummum id naturæ commentum non crederet, tanquam admirabile non extolleret, dum exiguis, atque tenuibus medicamenti particulis ingentem humorum copiam, cui vel fortiſſimus homo ſuccubuerat, agitatam primùm, deinde ſubactam, & denique reiectam aduertit? vel quis vnquam tanti præſtantiam artificij ratione concipere, vel oratione potuit explicare? quin, etſi non pauci varios in hac re ſenſus habuerint, omnes tamen videntur à veritatis ſemita aberraſſe, quod vt ab oculos proponatur.

Naturæ artificiũ in conſeruãdo homine.

Ecce tibi, athomorum auctore Democrito poſthabito, primus ferè omnium Ariſtoteles, cui meritò illud [a] Homeri referemus.

Ariſtotelis de medicamentis purgãtibus ſententia.

a Hom. de Tyreſia Odiſ. K lib. 10.

Ipſe ſapit ſolus, reliqui, velut vmbra, vagantur.

rei tamen propoſitæ afferens rationem, in ea videtur eſſe ſententia; [b] huius nempe generis medicamenta, cum animantium concoqui calore nequeũt, atque domari; haud tamen ægrè diſſolui, ſolutàque venas, quà cibi feruntur, ingreſſa, humorum vniuerſitatem perturbare, tantùmque agitare, vt tanquam indomita; indè reiecta, obſiſtentia quæque deducant. Qua ſanè ratione facillimè quid rationis ſit, explicat Ariſtoteles, quamobrem metallorum genera, etſi pariter animantium calore concoqui nequeant; quia verò ſolui è ventre non poſſunt,

b Ariſt. 1. ſect. problẽ. problemate 43.

non

non tamen è corpore educant humores; quemadmodum non pauca etiam nutrimenta, largiùs capta, dum prę copia vires opprimunt potiùs, quàm reficiant, concoqui non poſſunt, humorémque ſolent, non ſecus ac medicamenta, educere. Cauſſam verò, cur humorum vniuerſitatem pharmaca perturbent, atque commoueant, in caloris, frigoriſue ipſorum, exuperantiã reuocat; vel, vt clariùs [c] aliàs, quia humores fundunt, feruorem concitant, atque flatus. Quę Ariſtotelis ſententia, quamuis & tanti viri auctoritate illuſtris, & rationum momento grauiſſima; haud tamen rationem veritatis aſſequitur; quippe cauſſam non reddit, ob quam certa quędam medicamenta certos etiam educant humores: omnia enim iuxtà eum Ariſtotelis ſenſum, animãtium calore non domita omnem humorem agitarent, omnem pariter educerent, nihilque proprium eſſet, quod determinatos humores attraheret; experientię verò ſenſus iam planè docuit, hoc medicamento hoſce humores, alio alios tantùm educi; ita vt meritò non [d] Apponenſis modò eorum problematum expoſitor; ſed fidus etiam Ariſtotelis commentator [e] Auerroes ab hac ſententia diſceſſerint.

Ariſtotelis ſententia reprobatur.

c Ariſt. 1 ſect. problematũ problem. 41.

d Petrus Appon. in cõm. cit. problem.

e Auer. 5. collig. cap. 21.

[f] Eraſiſtratus verò, quemadmodum cognatione proximus Ariſtoteli, ita vt eius ſententiam tueretur, non determinatum à determinato, ſed omnes pariter humores ab omnibus medicamentis educi vltrò conceſſit; quod deinde ex eius Eraſiſtrati familia omnes approbarunt; qui tamen non difficulter [g] Hippocratis demonſtratione redarguuntur: quippe medicamenta ſunt, quę bilem, ſunt quæ pi-

Eraſiſtrati opinio.

f Ex Gal. lib. de medicã. purgant. c. 2. & 3.

Eraſiſtratus redarguitur.

g Hipp. 1. de natur. hum. tex. 29. & 30.

 tuitam

tuitam propriè trahunt,nec alios attingunt, ni ratione quadam conſequentię per eas, quas Medici ſuperpurgationes appellant, moueantur. vel ſi morbo, vt inquit [h] Galenus, à bilis copia ſuborto medicamentum,quo melancholia educatur, exhibeas, nihil quidem contra eius morbi vim,grauitatèmque contendes, nihil ex eius cauſſa detrahes, melancholia tantùm educta; at ſi pharmacũ,quod bilem propriè alliciat,aſſumatur,continuò eundem morbum,bile deiecta,videris contabeſcere; certiſſimum ſanè argumentum,determinatis humoribus determinata pariter medicamenta conuenire.

Certa medicamenta certos trahunt humores.

h Gal. lib. de medicã. purgãt. c. 2. & 3.

[i] Aſclepiades, non ſecus ac Eraſiſtratus, attractricis facultatis hoſtis adeò acerrimus,vt ex rerum vniuerſitate eam penitùs ablegarit, non attractos à pharmacis,quos expulſos videmus,humores credidit; ſed ipſorum potiùs vi denuò genitos,& quamuis alienos,in eorum, qui expelluntur, naturam inuerſos: certis etenim medicamentis certos generandi humores vim voluit ineſſe, quæ ſe ſe ad omnia porrigens,quicquid intra venas attingit,in illorum,qui ſibi proprij ſunt,facilè ſpeciem,naturàmq; conuertit. Cuius opinionis commentum deleuit iam dies,iudicia naturæ confirmans:etenim humorum copiam medicamento purgante minuimus,inſtantes morbos arcemus,inualeſcentes reprimimus, omnium impetum frangimus, atque ſedamus; quę procul dubio haud contingerent,ni præter eos,in quos poſſunt fortaſſe medicamenta conuerti, alij pariter humores, eorum morborum cauſſæ, educerentur.

Aſclepiadis opinio.

i Ex Gal. 1. de natural. facult. c. 13.

Reijcitur opinio Aſclepiadis.

Verè medicamẽta trahunt humores.

k Gal. 3. de ſimplic. med. facult. c. 24. 25. & 26.

[k] Galenus,cui hac pręſertim in re,& plebei pariter

Galeni ſententia.

ter, ac nobiliores medici ſubſcripſerunt, ſe potiùs hac difficultate, quàm difficultatem expediens, totus ſemper circa ſimilitudinem verſatur, quę medicamentis cum humoribus intercedit; huiuſque vi certos humores allici, atque educi contendit. At nos tum alibi ſimilitudine quę inanima ſunt ad attrahendum non vrgeri probauimus, tum peculiariter nunc in medicamentis haud fieri poſſe iudicamus: quis etenim primùm ea in re non aduertit, nulla hucuſque ratione eius, quam iactant ſimilitudinis vim in huiuſmodi rebus explicatam, nullum, quo ſe ſe hęc ſimilia attrahãt vncum, nullum modũ expoſitum, quidue eos per anfractus humores tam arctè complexos rapiat, vt fruſtra quandoque vel natura ipſa repugnet? diuerſitatem deinde efficacẽ non afferunt, cur vtrinque vigente ſimilitudine, medicamentis ſemper humores, humoribus nunquam medicamenta trahãtur: [l] dum enim quod calidius eſt inquiunt, id potentiùs attrahit; roſas, atq; violas recolant, quę natura non valde calida impensè calidam bilem attrahunt, ni fides ſenſibus abrogetur. quid? quod in calorem iam reuocaretur attractio, & in ea, quę reprobata ſunt, recideremus? ſi deniq; ſimilitudo eſt, quę ad id operis excitat medicamenta, eadem deberet inſuper ad medicamenta ipſa humores attrahere; at cum hæc vnica ſemper ventris regione mittãtur, quid eſt, quòd ad eandem pariter ſedem perpetuò non ferantur humores; ſed longiores per ambitus in veſicam aliàs, plerumque in cutem erumpant?

Refellitur Galenus.

Nõ trahunt m. dicamẽta ratione ſimilitudinis.

l Gal. 3. de ſimplic. med. facult. c. 25.

[m] Auicenna, etſi quo loci aliorum de hac re ſententias examinat, propriam explicare, quibus tech-

Auicennæ modus.

m Auic. lib. 1. fen 4. doctr. 5. cap. 4.

Digitized by Google

n Auic. lib. de viribus cordis tract. 2. cap. 10.

nis neſcio, ſubterfugerit; ex eis tamen, quæ [n] alibi in conſimilis difficultatis anguſtia approbauit, quid & in hac ipſe ſenſerit non obſcurè colligitur: ad eam ſiquidem, quæ corporum temperatio dicitur, atque ita certo quodam modo qualitates inter ſe ſe reddit congruentes, vt determinatam proprietatem conſtituant, huius generis effectus reuocauit. Et ſanè, quamuis præclara huiuſmodi temperationes obeant munera, non ignobiles fętus procreent, & ea non raro, quę ſuis videntur imparia viribus aſſequantur; haud tamen euidentem modum habent, quo poſſint attrahendi munera ſuſtinere, ne in calorem etiam recidamus: etenim nihil vnquam facultatis temperationi tribuitur, quod & cum illa aliqua ex parte non congruat; at ſi cum qualitate aliqua vis attrahendi congrueret, eam vel maxime calorem cẽſeremus, iam planè ad eundem ſcopulum appellentes. quid? quod in rerum proprietates, nulla ſenſuum euidentia comprobatas properantes, difficultatum ſcopulos ſubterfugere, occulta quædam, & penitùs inuoluta referre videremur?

Auicennæ modus admitti non debet.

Nõ trahunt medicamẽta per temperamentum.

o Albert. in tract. de metall. Turiſan. lib. 3. artis med. com. 60 & Chriſtophar. à Vega lib. 2. de arte med. cap. 3.

Ab hac etiam ſententia non longè illorum ſententia diſtat, qui ſubſtantialem appellatam formam eorum credunt operum effectricem, quaſi eò magis difficultas exorbeatur, quò abſtruſiora pro rationibus afferantur. vtinam ardua quæque his formis poſſemus non iniuria tribuere, vniuerſas ea ratione philoſophorum lites, quibus ętatem conterunt, facilẽ euerſuri; quis verò dubitandi cauſſam non ſe videt effugere, dum eas formas, nullo poſito molitionis modo, tantum operis aſſequi opinatur? formas

Aliorũ opinio reducentiũ medicamentorũ operationẽ ad formas ſubſtantiales.

Medicamenta nõ trahũt humores per formas ſubſtantiales.

Cur ſubſtantia nô agat. mas deinde, quæ ſubſtantiæ principatu præfulgentes, tanta eſſendi dignitate ne decidant, nihil alieni attingunt, neue extra proprij generis limites ferantur, nullum ad effectum directę, nihil operis exequuntur; ſed aliorum, quę ſeruitij loco ſunt, vſæ miniſterio, omne onus, atque munus pro ſua dignitate expediunt. quid? quod ſummi etiam p philoſophi eaſdem formas ſubſtantiarum effectrices aſſerere verentur, effugiunt, & nos vilioribus in munijs occupatas temerè affirmabimus? optimè * Ariſtoteles, qua ignis inquit, & qua terra nihil natum eſt agere, vel pati, nec aliud quicquam: qua autem ineſt contrarietas in eis, hac omnia agunt, & patiuntur; quis verò ſubſtantiales formas faciet contrarias?

p S. Th. 1. par. q. 77. art. 1. Auer. 12. metaph. côm. 18

*Ariſt. lib. de ſeſu, & ſenſ. cap. 4.

Cardani opinio. Omnium minimè noſtra ab intelligentia, ſenſûq; diſiunctam cauſſam huius rei attuliſſe vnus mihi videtur q Cardanus; ventrem enim inquit, ſiue potiùs inteſtina medicamento quodammodo delibuta, eiùſque viribus infecta, quandam hac ratione cum attrahendis humoribus contrahunt ſimilitudinem, qua vrgente eos humores attrahunt, attractis verò laceſſita expellunt. Ad quod comprobandum nec argumenta deſiderantur: id ſiquidem rationis eſſe videtur, quamobrem euomito perſæpe medicamento, ne tantulùm quidem ſuis partibus diminuto, nulla tamen ex parte minuitur purgatio. quemadmodum & non pauci ventri emplaſtro appoſito, vel medicamentorum odore purgantur; quaſi ea ſola qualitatis, membra inficientis tranſfuſio requiratur, eàque vna excitentur membra ad certos attrahendos humores. Illud verò vnum

q Cardanus lib. 2. côtrad. med. tract. 1. côtradict. 3.

Cardani opinio improbabilis.

hanc

hanc mihi ſemper ſententiam reddidit improbabilem: ea namque medicamentorum qualitas, qua membra inficiuntur, nunquam poterit tam altè imprimi, vt eam, quam natura infixit, cum alimento cognationem euertere poſſit, vel exuperare; iſta verò, qua nulla magis propria eſt, ſimilitudo, non tantum efficacitatis habet, vt ſummam alimenti copiam ad inteſtina deducat; & ea, quæ medicamentis dicitur impreſſa, leuior procul dubio, & infirmior, eam humorum copiam rapere, vt poterit? vel ſi tanti eſt, vt non ſecus ac ad alimenta, poſſit eos humores attrahere, cur eoſdem non poterit, vt alimenta conficere? ita enim pari euentu [r] accepimus, contracta ex longo venenorum vſu ſimilitudine, venena in alimentum conuerſa: quippe vbi ſimilitudo intercedit, nihil vnquam moleſtiæ aſpergitur. Vel cur longo vſu conſueta pharmaca, quorum altiùs membris impreſſa qualitas eſt, & confirmata cognatio, vberiorem non concitant purgationem, [*] ſed tenuem potiùs, & fere nullam? ita vt è medicamentis contracta, membriſque impreſſa cum humoribus affinitas arcere potiùs, quàm allicere videatur humores, & meritò nam inſita, ac naturalis ſemper vis aliena relègat.

Non attrahitur à membris humores, qui purgantur.

[r] Ex Gal. 3. de ſimplic. med. facult. c.18. Alberto lib. 25. de animal. c. 2 & Suida in hiſtoricis ſub Col. 1523 in verbo φύττι

[*] Exempla huius rei refert Apollonius Dyſcolus in ſua hiſt. c. 50. ex Theophraſto lib. 9. de hiſt. plantar. cap. 18.

[ſ] Non nemo denique eſt, qui non attrahi à medicamentis humores, ſed fugari potiùs, atque propelli contendit: cum etenim non paucis alijs rebus quaſdam veluti inimicitias natura ingenuerit, quibus illę per antipathian, vt inquiunt, propulſantur, hinc pari etiam ratione quid prohibet, eaſdem inimicitias medicamentis cum humoribus intercedere, eęque dum exereeantur, hos per antipathian

Recẽtiorum opinio volẽtium non attrahi, ſed repelli à medicamẽtis humores.

[ſ] Laur. Ioubertus Paradoxor. med. paradoxo 9.

ab

Digitized by Google

ab illis expelli? & quamuis longiore quidem oratione, plurima tentauerit idem auctor; haud tamen eos, me iudice, videtur ſcopulos effugiſſe, quos facillimè poteſt eius opinionis nauicula offendere: ſiquidem non procul à medicamentis reiectos videmus humores; ſed illis iam planè commiſtos, vnàque ſimul expulſione demiſſos; vbi verò illæ exercentur inimicitiç, ne commercio quidem locum eſſe oportet. quid? quod in eoſdem humores non rarò ipſa pharmaca mutãtur, affinitatis potiùs, quàm inimicitię argumentum? Sed hæc infra clariùs demonſtrabo: nollem enim interea, dum ſcopulos alijs detegò, moleſtæ longitudinis ſcopulo mea oratio illidatur.

Nõ repellũtur à medicamẽtis humores.

Cum medicamenta certos trahant humores auctoris ſententia, aliarùmq; opinionum conciliatio.

XERCITATIO XIIII.

QVamuis veteres illi philoſophi literarum ſtudio torquerentur, veritatis obtinendę ſolicitudine exardescerent; adeò tamen tot inter ſolicitudines, extraneis, & apud reliquos homines obſoletis moribus vtebantur, vt plurima non immeritò iurgia, plurimas contumelias ad noſtra vſque tempora ſuſtineant: illos etenim canibus [a] alij aſſimilant,

Philoſophi aſsimilati canibus.

a Atheneus dypnoſophiſtar. lib. 13. cap. 34.

ſimilant, non quòd pari cum his animalibus ſtudio veritatem, veluti ferā, experimenti odore veſtigent, omnium ſenſuum excubijs agitēt, & rationum curriculis inſectentur; ſed quia canum inſtar maledici, atque voraces, nullis contenti laribus, à virtute alieni, ad vitę vtilitatem dementes, vt nihil eſſe videatur ipſis philoſophis minùs philoſophicum. Viatores appellantur [b] ab alijs, qui tortuoſis, ac implicatis viarum erroribus ſemitas, quas ſibi non ſapiunt, ignorare diffitentur, & percontari obuios erubeſcunt.

b Lact. Firm. lib. de ira Dei cap. 7.

Philoſophi sūt veluti viatores ignorā viā non percontantes.

Eoſdem [c] alij loquacitate, vocùmque ſtrepitu ranis; alij obſcuritate ſepijs; alij aſperitate montibus ſimiles opinantur. Illud verò videtur mihi omnium appoſitiſſimè adinuentum, quo ijdem philoſophi horologijs comparantur: hoc enim iſtorum eſt, quæ machinalia pręſertim appellantur, maximè proprium, conſtante ſimul, ac diuturna obſeruatione compertū, vt in horis ſcilicet deſignandis nunquam procul diſcrimine conſentiant; ſed varia inter ſe, continuòque diſparia nullo non momento diſcordent; idq; quàmpropriè in philoſophos conueniat vel illa, quę proximo conſeſſu de purgantibus pharmacis retulimus cuiq; poterunt perſuadere; cum tanta hinc, inde opinionum varietate vna in re definienda inter ſe diſſideant, tanta vndiq; ſententiarum copia, feruidàq; animi contentione diſſentiant, vt nequeat in eo diſcrimine, vel tantillum cōcordię inueniri. Sed ſiqua vnquam arte poterunt horologia conuenire, non leuiter tentabimus hodie in pręſtituta iam de medicamentis purgātibus quęſtione principes philoſophos aliqua ſaltem ex

c S. Auguſt. lib. de cōuenientia decē præceptor. & decē plagar. cap. 2.

Philoſophi aſsimiles ranis, ſepijs, & montibus.

Optimè philoſophi cōparantur horologijs.

parte

Digitized by Google

parte conciliantes ad noſtram cauſſam adiungere.

Medicamēta ſimilitudinē habent cum humoribus, quos attrahunt.

Ponendũ verò id primo loco eſt, circa quod huius rei cardinē verti alij pariter iudicarunt; medicamētis ſcilicet cum eis, quos trahunt, humoribus ſummam intercedere affinitatem, maximàmque ſimilitudinem, idque licet omnium conſenſio perſuadeat, certiſſima adhuc comprobant argumenta: ea etenim animantia, quę huiuſmodi medicamentis, tanquam cibis, vtuntur, vt pręſertim elleboro coturnices, eos vberiùs aggregāt humores, quos in alijs ea medicamenta trahere conſueſcunt; vt ea ratione quoſdam coturnicum carne completos, melancholicis morbis oppreſſos viderit [d] Galenus; quin & in hominibus (vt idem pariter animaduertit) cum eadem aſſumpta medicamenta operā forte non attingunt, munùſq; purgandi non ſuſtinent, noſtro calore vincuntur, & in eos, quos allicere nata erant, commutantur humores. tanta his medicamentis cum eis humoribus eſt ſimilitudo, atque cognatio. Sed quantùm hoc certum eſt, ipsìſque ſenſibus deprehenſum, tantùm eius ſimilitudinis incerta eſt ratio, ac ſenſus fugit: quippe nec qualitates inter ſe multoties congruunt, nec aliqua earum temperationes affinitate iunguntur; vt meritò abſtruſa omnia, quemadmodum dixit Empedocles, videantur. Verùmenimuerò plurima pręterea eſſe poſſunt, quibus illa ſimilitudinis conſenſio ſtatuatur. & poſſet primò quis formarum eam credere neceſſitudinem, atque cognationem, qua ita formę ſibi inuicem proximè cohęreſcant, vt nihil habeant ſimilius: quemadmodum enim in viuentium genere, quibus clariùs, vt inquit [e] Ariſtoteles, eſſe cōmunicatur, quędam formæ ſunt, quę adeò proximè cōnectuntur, vt, nullo interiecto gradu diſiunctę, altera non niſi imago videatur alterius; quo pacto plantam

Medicamēta ſæpè mutantur in humores, quos attrahunt.

In quo ſimilitudo cōſtat, quæ inter medicamēta eſt, & humores, quos attrahunt.

d Gal. 6. epidemior. commentario 5. cōmento 35

e Ariſt. 1. lib. de cœlo tex. 100.

T quis

f Plat. in Timeo.

quis cum f Platone non diceret animalis imaginem, dum præter membra, quibus ipſa diſtinguitur, plantas alias refugit, atque odit, alias amplexatur, quaſi ſenſus etiam ſemina obtinuerit: ita & in alijs, licet obſcuriùs, rem ſe habere fatendum eſt; vt hac formarum connexione medicamenta ſimilia dicantur humoribus, & in eos facillimè conuertantur. Vel ſi hæc ſecretioris cuiuſdam naturę videantur, poterit ad primam elementorum commiſtionem eadem ſimilitudo reuocari: cum enim in ea, præter qualitates, elementa etiam certo quodam modo coeant, ac veluti paciſcātur, hinc quibus communis erit eius coitionis modus, communis etiam erit affinitas, atque cognatio.

Planta vt eſt animalis imago.

Nec te à conſtituta hac ſimilitudine popularis, ac ferè indigna philoſopho ratio alienet, qua, dum plures humores attrahit medicamentum, non videtur vel formæ ratione, quę vnica eſt, vel eius coitionis modo pluribus ſimul poſſe cohærere: quę etenim vni ſimilia ſunt, nequeunt inter ſe eſſe diſparia. quaſi poſita formarum ſerie non poſſit eadem forma huic prope, alteri propiùs collocari, eàque ratione plura ſimul attingere; vel quaſi medicamenti ſubſtantia ſimplex ſit, non diuerſis conflata particulis, &, vt inquiunt, etherogenea. Nec diſſimili ratione illud etiam, quod fatigauit alios, poterit expediri; cur ſcilicet diuerſa medicamenta eundem trahant humorem, nullàque inter ſe ratione conueniant? id enim vel ob formas eſt, quę plura, vt diximus, poſſunt, ſerie quadam attingere; vel quia diuerſæ in eis pharmacis particulæ ſunt, quarū alię externum illum diuerſitatis apparatum, penitiores aliæ, minùſque euidentes, eodem affinitatis iure, eam attrahendi vim planè conſtituunt.

Vnum medicamētum quomodo poteſt diuerſis humoribus eſſe ſimile.

Vnum medicamētū vt poſſit diuerſos humores attrahere.

An ab eadem ſimilitudine vnus te mouebit g Ioubertus,

Falsò crediderunt nonnulli medicamenta diſſimilia eſſe humoribus, quos purgãt

g Laur. Ioubert. paradoxor. med. decade 2. paradoxo 9.

bertus, qui plurium rationum apparatu trahendis humoribus diſſimilia credit medicamenta? Sed quantumuis licet eę rationes inſtruantur, & in aciem educantur; eos tamen ſolos poterunt expugnare, qui illã medicamentis cum humoribus inſitam affinitatem faciunt attrahẽtem, è quorum ſenſu quàmlongiſſimè ipſi recedimus, qui nullam voluimus alliciendi vim ſimilitudini tribuendam; nunquam verò diſſimilia poſſumus humoribus pharmaca arbitrari, quæ facilè, vt diximus, inuicem commutantur, atq; conſentiunt.

Natura, vt rerũ ſuauitate, ita modo etiam oblectatur.

Ponamus deinde naturam non tam rebus, quæ ſuaues ſunt, atque iucundę, quàm ipſarum etiam modo oblectari; ita vt modus, dum ipſę adhibentur, ſeruari debeat congruus, atque conueniens; iſque adeò neceſſariò in oblectatione exigitur, vt quamuis amica, & alioqui voluptaria, ſi tamen violento quodam impetu; ſubitò, atque confeſtim occurrant, non oblectationem afferant; ſed triſtitiam, dolorèmq; parturiant;

Subitò occurrẽtia, etſi iucunda, adhùc tamẽ dolorem afferunt.

h Alex. 1. lib. problematũ problem. 44

i Gal. lib. 12. methodi med. cap. 7.

cuius rei, pręter [h] Alexandrum, [i] Galenus nobis eſt non teſtis modò certiſſimus, ſed etiam auctor exempli: ſcimus enim inquit, qui in vehementi frigore iter fecerunt, eos cum ſe ſe non ſenſim, ſed ſimul calefacere properarent, dolore circa vnguium radices adeò vehementi affectos, vt ferre non poſſent. tantùm familiaria etiam, amicàque naturę moleſta ſunt, ſi ſubitò, & violenter inuadant. Eàque re communem illam medicorum ſententiam, etſi probatam in vulgus, nunquam probaui, qua, dum cauſſas doloris exagitãt, ſemper in continuarum partium ſolutione, vel in qualitatum intemperie verſantur; tantùmque vulgi opinionibus trahimur in errorem, vt nullus hucùſque omnes doloris cauſſas attulerit: antiquiſſima namque ea, & in hunc vſque diem feruida quęſtione vel proxi-

Medici omnes in doloris cauſſis inquirendis errarunt.

mas, & formales nuncupatas doloris cauſſas indagamus, vel planè remotas, quas materiales appellant; illas quidem quęrentibus, quid ad eam ſolutionem, vel intemperiem opus recurrere; cum neutra quidem ea ratione proxima ſit, ſed quicquid potiùs, quod haud congrua proportione conſtitutum, incōuenientis ſpeciem habet; ſub hac enim ratione, & intemperies, & illa ſolutio dolorem commouent; quemadmodum albedo non viſus formale appellatum obiectum creditur, ſed color potius, ſub quo viſui albedo ipſa obijcitur. Remotas verò cauſſas inquirentes dum ſolutionem, ac intemperiem afferunt, cur pręterea violentum eum quem ſuprà dicebamus modum pariter non recenſent? adhùc enim iſte dum naturalem, amicàmq; qualitatem reſtituit, continuis etiam partibus aſſeruatis, dolorē imprimit, vt Galeni patefactum opinamur exemplo, quo pręter inconuenientem modum nil naturam violenti fatigat. Nec interim [i] aliorum in ſcopuloſo hoc Galeni, quo verſamur loco ſuperando, ignoro laborem; dum in eodem etiam exemplo conati ſunt vel intemperiem, vel aliquam partium ſolutionem excogitare; tricas verò, quibus, dum hęc moliuntur, ſe ſe conuoluunt, nè longiùs diuagetur oratio, libenter prętereo; quid autem ſi pręter exemplum, id ſuadebit & ratio? quicquid enim modum non ſeruat vt inſuaue naturę dicitur, & inimicum, ita moleſtiam ſenſui parit, atque dolorem; cum eo etiam nomine dolor ex intemperie, vel ſolutione inferatur, at violēta, quamuis ad conuenientem qualitatem, mutatio, omni intemperie, ac ſolutiōne circumſcriptis, ſui tantùm ratione noxia eſt, & inimica naturę: quippe quæ repentina exoriuntur infeſta dixit [k] Hippocrates, magnáſq; mutationes inquit [l] Plato, natura non tolerat. ergo

&

Proxima doloris cauſſa nec ſolutio cōtinui, nec intemperies eſt.

Inter remotas doloris cauſſas præter ſolutionē continui, & intēperiē, aliqd aliud numerādū. Noua doloris cauſſa ex auctore.

[i] Valleriol. lib. 3. enarrationum medic. enarrat. 3. & Valleſ. lib. 5. cōtrouerſ. cap. 5.

[k] Hipp. 2. aphor. tex. 51

[l] Plato in Ciuili.

& hęc quoque ſeorſim ab alijs conſiderata ſenſui dolorem adiunget; nec ampliùs conditio, ſed vera doloris cauſſa (etſi nullus hucuſque nouerit) repentina hæc mutatio cenſeatur oportet: etenim formalem inconuenientis rationem, qua dolor conſtituitur, & ipſa participat, vt in medicis quęſtionibus vberiùs cõprobamus. Tantùm itaq; naturam (quod ad rem noſtram ponendum erat) mutationes violentę diuexant; idq; eò exiſtimandum vehementius, quò naturam magis infeſta ſolicitant, ac affligunt.

Medicamẽta cur trahant certos humores propria auctoris opinio.

His poſitis conſtare iam planè poterit conſtitutę de medicamentis purgantibus quęſtionis enodatio: huiuſmodi enim medicamenta, quia noſtro vinci, vel moderari calore non poſſunt, etſi in ventrem illata, non multùm tamen, diùque ventris ambitu concluduntur; ſed vt primùm ſegregantis caloris opera ipſorum particulę diſſolutę ſunt, confeſtim tenuitate, qua mirum in modum pollent, in venarum vſq; abdita penetrant, & vt de eiſdem dicebat [m] Ariſtoteles, vbi ventrem adierunt, reſolutàque ſunt; ſtatim ad venas per eaſdem feruntur ſemitas, quibus permeat cibus; venas verò confeſtim, & violento quodam impetu ingreſſa non leuem naturę moleſtiam repentina illa, vt ſupra dicebamus, mutatione parturiunt, quam afferre inibi exiſtentes humores non poterant; ita vt ſolicitata eo ſtimulo natura quicquid humoris intrà venas eſt primùm commoueat, hanc pariter commotionem eo medicamenti impetu concitante: ſe ipſam deinde aduersùs moleſtię cauſſam colligens, medicamentorum illas particulas, omnèſque pariter humores, qui naturali, vt probauimus, cognatione cum illis iunguntur, expellit; quaſi & iſti, vt illis affinitate cohęrent, ita ad eam inferendam moleſtiam conuenirent,

m Ariſt. 1. ſect. problematum problem. 43.

adeò

adeò rem,vel ea commotione,qua hęc confunduntur, vel ſimilitudine occultante, vt neſciat eo tempeſtatis natura veram moleſtiæ cauſſam ab alia eius conſimili ſegregare; quemadmodum prauis vbi humoribus irritatur, non rarò ſolet cum eis confuſum ſanguinem effundere. ita verò medicamenti repentè irruentis ſtimulo excitata, eò vſque expellere perſeuerat, quò vel ſedata commotione, cauſſarum diuerſitas valeat internoſci, vel moleſtiæ cauſſa propulſa, ſtimulus reſtinguatur. iſque modus, atque ſenſus eſt,quo purgari corpus,attrahi à medicamentis dicuntur humores.

Huic verò ſenſui principem philoſophorum Ariſtotelem,pariter & medicorum anteſignanum Galenum, vt polliciti ſumus, conſentire vos poteritis Academici dijudicare: videtis enim noſtra hac vnica expoſitione in venas, vt dicebat [n] Ariſtoteles, medicamenta penetrare,ibique parta,vt idem voluit, commotione, humores ſimul cum medicaméto repelli; ita vt noſtra pariter ſententia ad hanc eo modo excitatam perturbationem cum Ariſtotele poſſit attracti, vel propulſi humoris cauſſa reuocari. Galeno deinde planiùs nos conſpicitis aſſentiri: vt enim ipſe in huius rei cauſſa explananda, circa ſimilitudinem totus eſt, quę medicamentis cum attrahendis humoribus intercedit; ita & nos circa eandem ſumus, tanquam huius rei cardinem, verſati, vt meritò poſſimus nos cũ Galeno principem huius rei cauſſam in ea ſimilitudine collocare. Etſi ad noſtrum eundem ſenſum Aſclepiadis velimus, pariter ac Auicennæ ſententiam aliqua ex parte accomodare; dum illius vniuerſa ratio circa medicamenta eſt ad humorum ſpeciem conuertenda, non veram, atque propriam huiuſmodi conuerſionem eſſe intelligamus,ſed eam ſolam,qua caloris opera diſſoluta medica-

Auctoris opinio cõſona Ariſtoteli

n Ariſt. ibid.

Noſtræ opinioni conciliatur etiam Galenus.

Aſclepiades, & Auicenna noſtro ſẽſui accomodantur.

dicamenta cum humoribus ſimilitudinem largiùs exponunt, ſibiq; manifeſtè confirmant, ita vt ſenſu quodam in eos humores, per hanc euidentiùs acquiſitam ſimilitudinem, videantur inuerſa, eàque præſertim inuerſione, quam patẽtioris ſimilitudinis acceſſum propriè diceremus, humores attrahi, vel propelli nos quoque cum Aſclepiade poterimus conſiteri. Auicenna deniq; in elementorum temperatione perſiſtens, poterit, & à nobis non diſſidere; eo ſiquidem ſenſu, quo ipſi ex eadem temperatione voluimus ſimilitudinem illam, primariàm huius attractionis originem proficiſci, eodem poterimus ad temperationem illam, eiuſdem effectus cauſſam reuocare. Quemadmodum ſi eiuſdem ſimilitudinis forma principium, vt expoſuimus, credatur, poterit & Alberti ſententia pari etiam iure noſtram ad ſententiam accomodari: formam namque videtur hic auctor principem huius rei cauſſam arbitratus, & nos formam quoq; eius ſimilitudinis originem ponentes, poſſumus tanquam cauſſam agnoſcere. Sic ergo principes nobiſcum poterunt auctores, vt polliciti ſumus, conciliari. Sed quando his etiam expoſitis, promiſſi munus omne confecimus, fides obſecro liberetur.

Alberti doctrinæ noſtra etiã ſẽtentia accomodatur.

De aue bilem ex ictericis attrahente.

EXERCITATIO XV.

Terræ ornamentũ cum aeris ornata confertur.

ETſi ampliſſimis videatur naturæ miraculis vndique globus hic, qui terra dicitur, exornatus; aer verò nulla ex parte cultus, hinc, indè horridus, vbiq; nudus, & inanis; ſi tamen ſuis vniuerſa

iuribus

iuribus conferantur, haud minùs terræ ornamentis ornatus aeris eiuceſcet: ſi etenim illa gradientium, ſerpentiùmque ſedes; hic volatilium. quantùm illa ſtirpium fœcunditate, tantùm hic pluuiarum vbertate inſignis. illa gemmarum varietate admirabilis, hic vario colorum in iride apparatu ſuſpiciendus. illa metallorum conceptaculo nobilis, hic luminis domicilio illuſtris: illa venenorum copia formidabilis, hic tonitruum frequentia horrendus: & pro omni deniq; eo, quod poſſet tellus ſe ſe efferens magnificè oſtentare, non minus ab aere poſſet, nec leuiore gloria rependi. At ſi velit præterea tellus medicamenta, quibus ad vitę tutelam humores è corpore extrahuntur, celebres tanquam partus extollere; iam hoc in genere, & efficacitate, & commodo longè ab aere ſuperabitur: auē etenim iactat iſte, quæ nulla ægrorū moleſtia, nullàq; indigens vētris opera, oculorum dumtaxat acie intenta, bilē vniuerſa cute diffuſam ex ictericis trahit; quando medicamenta illa nequeunt hoc operis perficere, niſi & ipſa ventris in officina, ingeniti caloris miniſterio perficiantur, maximòque deinde hominum incommodo, variàque membrorum iactatione, vix tamen, & non ſinè diſcrimine humores educunt; vt quantùm hæc vni aeris alumno efficacitate videntur inferiora, tantùm poſſit in hoc genere tellus eidem aeri primaś ſinè difficultate deferre. Nos verò in huius rei cauſſa inueſtiganda torquebit difficultas, obruet magnitudo, quæ, vt in hoc de aſpectu argumento, aſpectum non fugiat, rem planiùs ob oculos proponemus. *Aer in quo terrã ſuperet.*

Et noſtis procul dubio Academici, eos, qui bilis per cutem diffuſione, extima totius corporis ſuperficie adeò flaui conſpiciuntur, vt ſępe eum, quem in amatę crinibus, vel in metallis probarunt colorem in ſe ipſis *Ictericorum deſcriptio.*

deteſtari

deteſtari cogantur; præ cœteris verò membris tanta coloris fœditas, ob tunicarum tenuitatem, elucet in oculis; vt hoc nomine, huius generis affectione correpti à feris, quas ſyluestres Muſtelas [a] Plinius, [b] Greci ictidas dicunt, icterici appellentur. Hos inquam, ita affectos iam procul dubio noſtis. Sed noſcite nunc auem, facillimam tantæ horum hominum calamitatis medelam. ſed quid auem dico? noſcite potiùs aues: non vna enim, at plures (niſi auctorum diſcordia multiplicentur) aues ſunt, quę tantùm ſolent in hominibus beneficium collocare. En primùm ex [c] Ariſtotele Galgulum, qui turturis magnitudini ęqualis, luteo colore ſuffunditur, Peloponneſum incolit, roſtro petit ligna, [d] aſſuetus nemoribus, paſcitur macerie, vocem magnam emittit, Crecis hoſtis, lædorum amicus. Ecce ex ęodem [e] Ariſtotele Charadrium, quaſi hiaticulam dixeris, appellatum, qui colore, & voce prauus, ſolùm noctuabundus occultatur in die, in præruptis torrentium alueis inhabitans; vt meritò [f] Ariſtophanes ad illam auium vrbem excitandam Charadrios aquam intuliſſe commemoret. En tandem icterum ex [g] Plinio, qui [h] luridus ales, [i] educto fętu abit, [k] maioremq; ad tutelam dependens pedibus ſomnum capit. Hæ itaque aues ſi ictericos, pariter ab illis conſpectæ, intueātur, eorum è cute vniuerſam bilem exhauriunt, abluunt fœditatem luridum colorem emundant, corporis ſpeciē recreant, vitàmque reſtituunt; vt hoc nomine Charadrium eximio naturæ beneficio affectum iure dixerit [l] Aelianus.

Aequi licet rem videamur planiùs enarraſſe; non minùs tamen difficultatis momento ſolicitamur: quid enim aui cum homine? quid Charadrio cum icterico? quid aſpectui cum bile? vel quas potiùs machinas moliri

Icterici nomen vndè ſit deſumptum.

Galguli ex Ariſtotele deſcriptio.

Charadrij ex Ariſtotele deſcriptio

Ariſtophanes cur ad auiū vrbem excitandam charadrios aquā intuliſſe fingat.

Icteri ex Plinio deſcriptio.

Rei difficultas expenditur.

a Pli. lib. 29. cap. 4.

b Ex Areteo lib. 1. de diuturn. affect. cap. 14. & Celio Aureliano lib. 3. chronion cap. 5.

c Ariſt. 8. de hiſtor. anim. cap. 3.

d Ariſt. 9. de hiſtor. anim. cap. 1.

e Ariſt. 9. de hiſtor. anim. cap. 11.

f Ariſtoph. in auibus.

g Pli. lib. 30 cap. 11.

h Pli. lib. 37. cap. 10.

i Plin. lib. 10 cap. 25.

K Pli. lib. 10. cap. 33.

l Aelianus lib. 15. de animal. c. 26.

liri valebit obtutus ad attrahendum, quoſue tantę efficacitatis ſatellites, operiſque miniſtros poterit adhibere; ita vt aſpiciens ſolùm (quemadmodum inquit m Eliodorus) accerſat, atque trahat ad ſe ſe à natura morbum veluti fluxum quendam / & ſanè tanta ſemper extitit huius rei difficultas; vt illa obrutus, experientiam * non nemo denegarit, ex alijs verò, nullus hucuſque videatur auſus rem, tot auctoribus certam, tot ſęculis celebrem rationis momento explanare; niſi n Plutarchum velimus ad naturam, neſcio quam, confugientem excipere, dum ea videtur inquit, animalculum iſtud natura, temperieue pręditum, vt trahat, & rapiat in ſe morbum, atque deriuet per oculos, veluti elicem quendam. quare nos in argumento tam arduo, quàm peregrino audentes, ni veritatem penitùs attigerimus, iure poſſimus excuſationis aliquid apud poſteros obtinere.

m Eliodorus lib.3.cap.8.

* Baptiſta Codrôchus lib 2. de morbis veneficis cap. 2.

n Plutarch. problē ſympoſ. decade 5. problemate 7.

Plutarchi ſententia.

Modus autem primò conſtituatur, quo tantum ex hac aue beneficium icterici conſequuntur: quamuis enim eum o Plinius attigerit, vbi auis inquit, icterus vocatur à colore, quę ſi ſpectetur ſanari id malum tradunt; rem tamen planiùs enarraſſe videtur p Aelianus, dum ſi quis inquit, ictericus in hanc auem acerrimè intueatur, illa contra ſinè nictatione ex animo reſpiciat, ſic affectum hominem ſuo obtutu ad ſanitatē redigit. quæ ſi vera ſunt, vt vera eſſe fateamur oportet, ne fides hiſtoriæ abrogetur, intentis ita oculis debent hanc auem icterici intueri; vt non modò in ea defixi, ſed tota etiam mente, omniq; animo hæreant; ſi diuturnum difficilèmque velint affectum non difficulter exuere.

Modus, quo icterici ab hac aue ſanentur.

o Pli. lib. 30. cap. 11.

p Aelianus loco citato.

Earundem deinde auium colorem non minùs operæpretium cenſeo annotare, qui adeò flauus, vel, vt inquit

Auium bilē ex ictericis attrahentiū color.

inquit [q] Plinius, luridus eſt, vt ſi colorem ſpectes, aues etiam dicere poſſis ictericas: pari etenim modo flauēt oculi, crura, roſtra, omniaque plumis pariter, ac pennis obducuntur magna ex parte luteis; vt [r] Albertum nō potuerim non admirari, qui neſcio, an alieno, an ſui ipſius teſtimonio abuſus, album retulit eſſe Charadriū, quem [s] luridum alitem, [t] Icterùmq; dixit Plinius ex colore; [u] Ariſtoteles verò vel luteum eſſe refert, vel prauo colore, cuiuſmodi albedo cenſeri non debet, infectum; ni tamen Albertum de parte aliqua huius auis loquutum intelligamus; quin vſque adeò Charadrius flauo colore ſuffunditur, vt nec fortaſſe deſideretur, [x] qui tantam, tàmque in colore euidentem inter ipſum, ictericòſq; ſimilitudinem prętendens, non aſpectum, ſed illius credidit carnes deuorantem ictericum conualeſcere. quantùm verò hic ſenſus à grauiſſimo auctorum teſtimonio, ſensùq; ſit alienus, ille non poterit non agnoſcere, qui ſemel omnium conſenſu perceperit in vno harum auium aſpectu medelam poſitā ab huius rei auctoribus relatum. quid? quòd hoc idem prouerbio, longa annorum ſerie confirmato præclariſſimè admonemur? [y] dicitur enim Charadrium imitari qui quod alijs vtile eſt occultat, vel ſtudioſè diſſimulat: pari ſiquidem ratione qui hāc auem, ſolo aſpectu ictericos ſanantem, vendunt, occultare illam conſueſcunt, ne remedium ictericus ſentiat priùs, quàm emerit. vndè occulit, inquit [*] Hipponax, nam Charadrium vendit.

Altiùs denique petentes exordium, imaginantis facultatis, quę phantaſia dicitur, in noſtrum corpus imperium recolere oportebit. Nec equidem hominem eſſe arbitror, quem admiranda huius facultatis ſpectacula non aduerterint; quoties enim (vt [z] omittam

Alberti error in colore Charadrij

Non ſanantur icterici eſu carnium Charadrij.

Aues ſolo aſpectu ſanāt ictericos.

Charadriū imitari qui dicatur.

Imaginationis in noſtrū corpus vis, & imperiū.

q Pli. lib. 32 cap. 10.

r Albert. lib. 23 de anim. loquens de Charadrio.

ſ Plin. cit. lib. 37.

t Pli. lib. 30. cap. 11.

u Ariſt. 8. de hiſtor. anim. c. 3. & lib. 9. cap. 11.

x Ex Suida in hiſtoricis ſub Colum. 1531. in verbo Charadrius.

y Ex Ariſtophan. ibidē.

* Ex Suida ibidem.

z Ariſt. 10. ſect. problematum problem. 15. & Auic. lib. 1. fen. 2. doctr. 2. cap. 14.

Digitized by Google

interim quæ de concipientibus grauiſſima teſtimonia comprobarunt) [aa] oſcitantibus alijs oſcitamus;ad ferrę, quæ acuitur, ſtridorem inhorreſcimus; alijs acida deguſtantibus, dentiū ſtupore opprimimur, aliorùmq; tormentis animo linquimur,nonne imaginationis impetu concitamur? dum horribili rerum aſpectu terremur,terrorèmque pallor, tremor, dentiùmq; crepitus conſequuntur, nonne imaginantis facultatis imperio ſubiacemus?quid? quòd eidem parentes imperio, etſi nec horribilia, nec immania,quæ tamen eadē vis horroris ſpecie obſignauerit,intueamur,adhuc pari terrore concutimur? Sed quid à re noſtra longiùs diſſita argumenta commemoro?quot moleſtę rei aſpectu ſtomachātur, nauſeant,tacitòq; quodam conatu ad euomendum,non leui etiam ventris incommodo, impelluntur? quot paratum,vel leui oculorum obtutu,proſpicientes medicamentū, aluo largiſſimè ſoluta purgantur?quot ſola diſcriminis memoria ſudant?& ſunt tamen hæc vulgaria imaginationis molimenta, non præclara facinora. Tanti verò impetus ratio ex ſolo huius facultatis in noſtrum corpus imperio eluceſcit. & quidem fas erat, inſtrumentum ſuę facultatis impetu cōmoueri,inferiora ſuperioribus ſubiacere, intimo quodam conſenſu obſequutura. atqui, vnam poſt intelligentiam, omnium facultatum ſupremam quis nō videt phantaſiam? [bb] quę vt intellectus,libera, longè, latèque,nullo coercita rerum limite,vagatur; [cc] ſua ſibi fingit idola,plurima paucis colligit, præterita pariter,& abſentia cōplectitur; [dd] vigilat in ſomnis, [ee] nunquam percepta ſenſibus comprehendit, [ff] verax etiā, & aliquando falſa,vt meritò [gg] imago quædam intelligentię nuncupetur; quin ipſius veluti vicaria, [hh] ſedē habet in cerebro, [ii] ſenſuum vtitur miniſterio, [Kk] agit ſimul,

aa Ex Ariſt. 7. ſect. problematum problem. 2. & 5. & Alexādro 1. lib. problematū proble. 34.

bb Ariſt. 2. de anima tex. 53.
cc Ariſt. 2. de anima tex. 155.
dd Ariſt. ibid. tex. 156.
ee Auer. lib. de beatitud. animæ c. 5.
ee Auer. 2. de anima cōm. 153.
ff Ariſt. 2. de anima text. 157. & 161.
gg Marſ. Ficin. i Plotin. Enneade 4. lib 3. c. 23.
hh Gal. 3. de locis affec. 5
ii Ariſt. 2. de aīa tex. 160.
Kk Ariſt. ibidē tex. 161.

Imaginatio cur tantum in vim in noſtrū corpus habeat.

Imaginationis cū intellectu proportio.

ſimul, ac patitur, [ll] diuidit, atque componit, vt ſanè meliùs [mm] particularis quædam intelligentia dicatur. Sed quid, vt huius facultatis eniteſcat imperium, celebro dignitatem? non ita vile hoc imperium eſt; vt alieno tantùm ſplendore pelluceat; quin etiam ſuis viribus illuſtriſſimum, non alia eſſe debet, ni ſuorum facinorum pompa celeberrimum: hæc enim vis eſt, [nn] quæ formatrici, vteri clauſtris hominem fingenti, legem ponit, idola conſtituit, & minima etiam lineamenta præſcribit; huius ad nutum feruet ſanguis in corde, concitantur ſpiritus, accēditur corpus, furit vniuerſus animus; hęc in venis humores, in ventre exagitat alimenta, ſplendorem oculis, ſuauitatē linguę conciliat, omnèſque poteſt ſenſus recreare pariter, ac opprimere; [oo] huius denique imperio membrorum moles obtemperat, conſtat, decidit, turgeſcit, extenditur, contrahitur, inflectitur, erigitur, iactatur, omniq; motionis genere commouetur. tantum eſt vnius imaginationis in noſtrum corpus imperium.

Imaginationis effectus.

Nec ille, [pp] qui ſpiritus commouendi vim è phantaſia ſuſtulit hîc me interpellet, eámque vel viarum fingat ignaram, vel nutrientis animę operibus repugnantem, vel multis in neceſſitatibus impotentem: quis enim inſtrumenta non nouit ad principalis cauſſæ imperium neceſſariò commouenda? vel quis hominem non vidit, concepta timoris imaginatione, nullóque duce per viarum abdita ſpiritibus retractis, palleſcere? alimenti confectionem diuturno imaginum pulſu, quaſi impedimento quodam, vel ad corporis vſque maciem, labefactari? neruos tandem ipſos, ſinè controuerſia mobiles, vel motionis inſtante appetentia, feriari? languet ſæpiſſimè imaginatio; vel quamuis ipſa aliquando vigeat, ſimùlque vrgeat appetitus, labant

Falsò credidit quidam, ſpiritus à phantaſia commoueri non poſſe.

Cur ſæpe imaginatio miros illos effectus non pariat.

[ll] S. Thomas 1. par. q 78. artic. 4. ad quintū, & in opuſc. de potentijs animæ cap. 4.

[mm] S. Th. 1. par. q. 81. artic. 3. & in quæſt. de anima art. 13.

[nn] Hipp. lib. de ſuperfęt. Gal. de Theriaca ad Piſ. c. 14. & Plin. lib. 7. c. 12.

[oo] Ariſt. lib. de motu animal. c. 6. 3. de aia ſūma 2. c. 2. & S. Th. 3. par. q. 13. art. 3. ad tertium.

[pp] Thomas Fienus lib. de Viribus. imagin. q. 5. concluſ. 22.

labant fortaſſe ſpiritus eorum operum inſtrumenta; vel etiam his conſtantibus, obſtat quandoq; voti difficultas, obſiſtunt aliàs mẽbra, malis præſertim oppreſſa, plerumque indomiti repugnant humores, diſſentit non rarò qualitatum vis, ac temperamentum; vt mirum non ſit, ſi rariſſimè fiat (quando hæc omnia requiruntur) voti compos imaginatio. vbi verò penitùs conceptæ imaginationi, & exardeſcenti pariter libidini ea omnia non repugnant, ſed obſecundant imperio, tunc mirari nemo debet, ſi mirabiles eos effectus vnico phantaſiæ impetu moliamur.

Cur ictericorum bilis ab eis auibus attrahatur, auctoris ſententia.

Hęc eadẽ, me iudice, credenda ratio eſt, quamobrẽ ad eius auis aſpectum (quod noſtri erat argumenti) vniuerſa ictericorum bilis exhauriatur: quippe acerrimo illo, vt diximus, in auem, eodem humore, vel ſaltem colore infectam, obtutu, non leuis circa eundem colorem in phantaſia ſuboritur impreſſio, cuius ad imperium ſpiritus primo, familiaria inſtrumenta, concitantur, indè bilis, princeps eius coloris in noſtro corpore conceptaculum, quoniam verò tantæ motionis principium extrinſecùs videtur quodammodo hauſtum; hinc ad exteriora pariter fit vniuerſus ſpirituum, biliſque concurſus, obſecundante, & hunc motum natura, eundem humorẽ ad cutem ſummo ſtudio relegante; ibi verò dum affluente ſpirituum copia viget calor, bilis, ſuapte natura tenuis, magis atque magis extenuatur, quouſque eiuſdem caloris opera, cutis meatibus ampliùs reſeratis, facillimè euaneſcat. atque ita vnius auis aſpectus poteſt ictericos non leui morbo liberare. quam quidem rationem vel ij procul dubio approbabunt, qui acerrimi eius obtutus in hac re neceſſitatem, ſimùlque quantum ille poſſit imaginationem excitare perpenderint; vel qui ſupremum imaginationis

ginationis imperium, & iam relatos effectus explorauerint; præſertim verò quàmfaciliter imprimere hauſtam oculis imaginem fœtui conſueuerit. & ſi congregatis in timore, ſiue per irã accenſis ſpiritibus craſſiſſimi humores expirant, ita qq vt è quartana alij conualeſcant, rr auditus alijs reſtituatur; cur & ijdem circa cutem collecti ſpiritus extenuatam bilem potuerint non abſumere? vel ſi cui paululum hæc videantur à re aliena, ſecum iſte recolat, rubrarum rerum aſpectu non taurum modò, vt inquit ſſ Seneca, iraſci; ſed in nobis etiam ſanguinem ad exteriora impetu quodam ad effuſionem vſque concitari. quare aſcenſum ab huiuſmodi aſpectu eum monet tt Auicenna, cui ſanguinis copia effunditur, & nos uu vbi ſanguinem ad cutem cogere properamus, ſemper in oppoſita rubra conijciẽdos oculos perſuademus. quid? quod ipſos etiam, de quibus loquimur, ictericos flauarum rerum aſpectu non parum iuuari grauiſſimi teſtantur xx auctores? Nec horum omnium aliam, præter eam, quæ ex imaginationis imperio deducitur, rationem poſſumus arbitrari; cum tantum efficacitatis color, qualiſcunque ſit, nequeat obtinere, quemadmodum altero, qui de coloribus erit, libro oſtendemus; neque opportunum hìc eſt ad ſympathię nomen, vt fecerunt in hac re * alij, confugere, ni nomine ſolum, non re, velimus difficultatem abſoluere perappoſitè quidem veritatis doctor yy Sãctus Thomas ex eo inquit, quòd anima imaginatur aliquid, vel vehementer afficitur ad illud, mutatio ſuboritur in corpore ad ſanitatem, vel ægritudinem, nullo eorum, quæ ſanitatem, aut morbũ natura ſua procreare poſſunt, adhibito miniſterio.

Vel ſi ſublata imaginationis opera, tenues bilis halitus ex eius auis oculis expirare crediderís, eòſque, vt

in

Cõſueuit ira quartanã, & ſurditatẽ ſanare.

Ex rubrarũ rerum aſpectu concitatur ira.

Ex rubri coloris aſpectu sãguis ad exteriores partes trahitur.

Icterici flauarũ rerum aſpectu iuuantur.

Valleſij error ĩ aſſignãda ratione cur irã rubra cõcitẽt.

Mutatio in corpore ex imaginatione.

Altera eiuſdem problematis ratio.

qq Raſis hoc refert lib. 18. continentis.

rr Ex Valer. Max. lib. 1. c. de mirac.

ſſ Seneca lib. 3. de ira c. 30. qđ habetur etiam de Elephãtis 1. lib. Machabeorũ cap. 6.

tt Auic. lib. 1. fen primum doctr. 4. c. 2.

uu Ita notat Iacob. Forliu. 3. techni q̃ſt. 11. lege Vall. ſ. de ſacra philoſophia cap. 82.

xx Auic. lib. 3. fen 15. tractat. 1. c. 6. & Raſis 18. cõtinentis c. 2.

* Valleſ. de ſacra philoſ. cap. 82.

yy S. Tho. 3. contragent. cap. 99.

in faſcino plerumq; fit, ad ęgrotantem deferri probaueris, breuiorem, quamuis minùs fortaſſe efficacem, poteris rationem exponere: etenim expirationes illę mordaces ſimul, & ferè confeſtim extrinſecùs immiſſæ poſſunt adeò exagitatam iam naturam ſolicitare, vt eis ſtimulis magis, atq; magis excita, & planè conſoſſa vniuerſam bilem ad cutem demittat, ad quam & iam antea inclinarat; & circa eandem quoque regionem naturalis caloris viribus coactis, atque collectis, eundem pariter humorem ſoluat, ac abſumat in halitum, morbùmque, quadam veluti iudicatione, debellet. Interim verò qui tantum in hac re imaginationi, vel naturæ non tribuet, aliud ipſe, cui tantum cenſeat tribuendum, exponat: nobis enim circa montis ſemper radices hęrentibus progredi non datum vlteriùs.

Quo ingenio ſpongiæ, aliàque id genus ſicca, humores attrahant.

EXERCITATIO XVI.

IN eo diſcriminis me verſari iam ſentio Academici, in quod ille conſueſcit incidere, qui ſyluarum ciuis, ſpeluncarum incola, ſolis nemorum aſſuetus horroribus, ex horrida deinde ſyluarum aſperitate, è ferarum conſortio, & incunabulis, è lucis ad lucis ſuauiores vſuras, ad ampliſsima vrbium ornamenta deductus; vbi primùm aquarum hoc longè, latèque diffuſum theatrum,

trum, quod mare appellamus, intuetur, continuò laſciuis vndarum choreis, leniter vagiẽtis auræ ſuſurro, placido fluctus admiſto fragori, & ſumma denique totius maris mollitie tantùm capitur, ſecundàq; aliorum nauigatione allicitur, vt iam & nauigandi ipſe deſiderio compellatur, & nauem voti potiùs, quàm conſilij compos aſcendat. Gaudet hic dum nauigandi facilitate fluctus ſuperat, & quoquo voluntas rapitur, inſeruientibus veluti ventis ratis vehitur. quin veluti de mari triumphans, pro triumphali curru nauem, pro currus vectoribus ventos, pro tubarum ſonitu auræ ſibilum, pro victis hoſtibus aquas obtinet. Sed ſi lenis vagitus in mugitum, fragor in furorem, aura mutetur in Eurum; ſi dum in altum eſt ventum, inhorreſcat ventus, trãquillitas conturbetur, fluctibùſq; efferueſcentibus mare ſæuiſſimo quodã æſtu rapiatur; tunc in illo, qui placidus gaudebat, non minore veluti tempeſtate ſuborta, cum afflicto, fractoque animo ſpes ſalutis infringitur, omnis langueſcit induſtria, atque ita ſenſus ipſi atra quadam caligine offunduntur, vt meritò dixiſſe videatur [a] ille, huius ſortis nauigãtes nec in viuentium, nec defunctorum numero computari; quapropter nullus cum pateat remedio locus, vndarum furori, quem nec fugere poteſt, nec fugare ſe ſe credens, improuiſa pericula ſubit inuitus. In eodem equidem diſcrimine me verſari iam video: etenim è taciturnitate illa, qua antequã vobiſcum annumerarer, tanquam inter ſyluarum horrida, nemorumque ſilentia degens, telluris, vt [b] aiunt, inutile pondus latitabam, in illuſtrem præclariſſimùmq; hunc cętum, quem Academiam appellatis, aduocatus, & attrahentium vniuerſitatem, placidiſſimum veluti mare, intuitus, cõtinuò argumenti præſtantia, & peregrina cognitione

Fęlix nauigatio in difficilem commutata.

Nauigantes nec in viuẽtiũ, nec defunctorũ numero cõputantur.

a Xenocrates lib. de morte.

b Hõ. Odiſſ. Y lib. 20.

X pelle-

pellectus, tanto mari me ipſum credidi, & ventis, licet non oĩnò ſecundis non oĩnò tñ infeſtis noſtrũ hucuſq; vectũ eſt nauigiolũ; plauſit veſtrę humanitatis aura, veſtriq; patrocinij plenis velis, etſi de tãto mari triũphũ non egerim; illius tamen primis exantlatis difficultatibus, quantùm vos conceſſiſtis, ouauimus. Sed nunc in altum prouectus rei perturbationem video, & acerrimas tempeſtates, varijs vndique procellis mare ſęuit argumenti, & difficultatũ tenebris experientiæ vnda inhorruit. Nonne memoria retinetis nimbos illos, imbres, aquarùmq; voragines, & eluuiones, quę in me apud vos hęc eadem aliàs tractantem irruerunt? fuere illa omnia tempeſtatis huius præludia, & iam naſcentis incunabula. Nunc in alto me iactat immoderata tempeſtas, & furentes vndiq; ventorum impetus reijciunt. & quando non locus conſilio, non induſtriæ eſt, inuiti periculis occurramus oportet: nam tenere portum ſi nequeas, nauigando tempeſtati obſequi non inertis eſt artis.

Eſt ergo nauigandi difficultas, & qua iactamur tempeſtas, cur ſicca quędam tanto impetu, vel imperio humores attrahant, vt eos, ingenito etiã reluctante pondere, extollant? In qua re ecce tibi ſpongia (vt ſexcenta id genus alia prætercam) quę veluti ad captandam ſolum aquam genita, mille patula foraminibus, mille peruia latebris, & cœcis anfractibus, mille præbet aquæ patentes aditus, mille latentes, abditòſque ſinus. Hęc ſi humorem, quantumuis leuiter, attingat, illum confeſtim inuehit, nec in penitiſſimas modò partes, ſed in ſummas etiam, ab eodem procul humore (quod mirabile eſt) diſiunctas attrahit; vt ea fortaſſe re impoſtor [c] ille vbique gentium admirabilis, qui ſe ferã nutrire iactabat, quę ſe ipsã voraret, inter cętera admi-

Spongiæ deſcriptio.

c Fuit hic Matreas qdã Alexandrinus, de quo Atheneus lib. 1. dipnoſophiſt. c. 13.

Rapaciſſimi procuratores ſpongijs aſſimilati.

Demoſthenes quō fuerit Philippi regis laudes cauillatus.

admiranda feciſſe, cur bibant ſpongiæ, perhibeatur. & [d] Veſpaſianus Auguſtus rapaciſſimis procuratoribus, tanquam ſpongijs, dicebatur vti, cum per eos diuitiarum humores largiùs attraheret. [e] Demoſthenes verò fertur Philippum regem, vt eloquẽtiſſimum, pulcherrimum, feſtiuum, promptùmq; ad potum nonnullos laudãtes cauillatus, quòd partim Sophiſtę, partim mulieris, partim ſpongię huiuſmodi laudes eſſent; imperatoris autem nulla in eis cõmendatio redoleret. At quęnam ſint ſpongię ad humorem inuehendũ vires, quę ad attrahendum manus, hoc argumenti mare perturbat, nauem agitat ingenij; atque ita vehemens eam vrget ventus, & immoderata tempeſtas, vt onera, atque merces, quibus onuſta eſt, ad aluei leuamen cogamur eijcere.

d Sueton. in vita T. Veſpaſ. cap. 16.
e Plutarc. in vita Demoſthenis.

De ſpongia humorẽ attrahẽte, Petri Apponẽſis opinio.

En primę in manus veniũt [f] Petri Apponẽſis merces, quamuis quidem tenues, nõ omnino tamen ignobiles, quibus nõ propriè attrahi, ſed eleuari, vel impelli, vt ipſe loquitur, quodammodo humida hęc ab huius generis ſiccis arbitratur; impellendi verò modum per eiuſdem humidę ſubſtantię multiplicatam ſpeciem ex eleuatis vaporibus explicat; vel vt ipſe ad conſimile propoſitum, non eſt inquit, hìc attractio, ſed impulſio, & ſpeciei aquę multiplicatio euaporando ſurſum. Sed tenue pondus non ęgrè reijcitur: nec ambientis enim, nec ſiccorum corporum tantus calor eſt, qui poſſit ex humidis excitare vapores, nec poſſumus aliter multiplicatas illas ſpecies opinari: etenim ſi ad contactum proximas partes inficientem, quouſque eo modo ſerpere videatur humiditas cõfugias, vt [g] alij ſtatuerunt; iam vel nudam aſſeris humidi corporis qualitatem ea ratione cõmunicari, vel adhùc modum, quo transfundatur humor, exigemus.

f Petr. Apon. in Cõciliat. diff. 51

Reijcitur opinio Apponenſis.

Nõ trahunt ſpongię humorem per vapores.

g Laur. Iou bert. parado xor. med. decade 2. paradoxo 8.

Et quamuis hęc adeò tenuia videantur, eis tamen tenuiora [h] ille habuiſſe mihi videtur, qui voluit humidum, cuius partes ex [i] Ariſtotele, ſunt terminare ſicca, ſe ſe inſita quadam natura mouere, & quęcunq; per ſicci corporis ſpatia penetrare: etenim cum humiditas grauibus rebus ineſt, funditur quidem ni ſolidis corporibus hæreat, atque dilabitur; ſe ſe autem ſublime ferre, & in altiora peruadere, eo pódere prohibetur.

h Gabr. Fallopp. lib. de compoſ. medicam. c. 10.
i Ariſt. 4. meteor. cap. 4.

Reprobatur recentioris opinio.

Humiditas nõ ſe ſe mouet ad ſiccũ.

Occurrunt poſt hęc [k] Hieronymi Fracaſtorij opulentiſsimæ merces, quę cum nauem hac tempeſtate fatigent, nauigantium rationum manibus deijciantur oportet. primùm verò illud, quo è ſpongijs, eiuſdemq; generis alijs trahi aquam aſſerit, nam aquam fugienti indè aeri cohærere, atque ſuccedere neceſſe eſt; fugit autem aquę conſpectum intrà ſpongiarum cauernulas incluſus aer, nam aduerſis quibuſdam, quas hic auctor machinatur, ſpeciebus contraria omnia, & diſſimilia ſe ſe mutuò fugant, & auertunt. Ecquis obſecro tantum ponderis turbulento hoc tempore ferret in nauicula? pondus, quod vel nunquam labantẽ naturę vim poſſet infringere: quì enim natura cum igne connexit aerem, huic aquam, & aquę terram nulla diſtractione ſuppoſuit, ſi debebãt ſe ſe huius generis diſſimilia propellere? quæ poterat inter illa eſſe connexio, quę debebat fuga diſtrahere? quo pacto deinde aer hic, qui & in molli aquę ſinu, & in viridi terrę gremio cõquieſcit, diſſimilia hęc corpora non fugit, non declinat? quid cauſſę deniq; eſt quamobrem è ſpongijs aer nõ fugit, ſi terram attingat, vel cinerem, cum quibus diſſimilitudo etiam intercedit, & fortaſſe maior? deijciatur ergo tantum ponderis è nauicula.

k Fracaſt. de ſympat. & antipat. c. 10

Fracaſtorij opinio refellitur.

Diſsimilia omnia nõ ſe ſe fugant.

Eſt illud deinde pari ſorte habendum, quo ſpõgias credit [l] idem auctor, aliàque generis eiuſdem ob humoris,

l Fracaſt. ibidem.

moris, quo antea fruebantur inopiam, illum ipſum repetere, & auiditate quadam attrahere. pariter inquã, deijciendum eſt: neq; enim indè adhuc habemus, quibus inſtrumentis ſpongiæ forma, ſiccitatis fortaſſe viribus ſublata, humorem, quem appetit, ad ſe trahat, cũ prꝗter appetitum, & attrahendi vim, certa quꝗdam ad attrahendum inſtrumenta expetantur? quonam deinde emolumento ſpongiꝗ ad eum raptum inuitatæ rapiuntur? vel quꝗ poſt attractum humorem, illarum mutatio fit, ſi tantùm illum expetunt, ac veluti neceſſarium alliciunt? Denique cur ſiccꝗ ſtirpes, & eſuccꝗ humorem, quo antea viuebant, hoc eodem naturꝗ cõſilio non repetunt, atque trahunt? quas difficultates * illi pariter ſubire debent, qui quandam cõmenti humida attrahendi facultatem in ſiccis, rem omnem ſe planè expediuiſſe crediderunt, non ampliùs huius facultatis finem, non inſtrumenta, non diuerſitatem ab ea, qua animata attrahunt, nec quomodo contraria humida à contrarijs ſiccis rapiantur explicantes; vt meritò quando ipſi ſolo credunt hoc facultatis nomine tantã rei difficultatem effugere, nos ipſorum etiam nomen effugiamus.

Spongiꝗ nõ repetunt humidum, tanquã ſibi proprium.

Siccis non inſita eſt facultas attrahẽdi humores.

*Roder. à Vega 1. de differ. febr. c. 6.

Nec illud denique retinebimus, quo fugere è ſpongia aerem inſtante aqua commentus eſt [m] Fracaſtorius, ad id loci, quo prꝗter naturam concludebatur, declinandum; illud pro hac re afferens argumentum: nam elementorum partes nunquam naturaliter locãtur, niſi toti ſpherꝗ ita coextendantur, vt nulla earum exerta ſit, nec abſcedat è toto; ſed omnes ꝗqualiter in eo conſiſtant. Nec inquam, hoc retinebimus: nam ea pariter lege, vel non deberet humor attrahi, vel iàm attractus deberet continuò relabi, & in eãdem ſedem eodem prorſus ordine aerem reuocare: huic enim pariter

Nõ trahitur à ſpõgijs humor ob locũ aeris.

[m] Fracaſt. ibidem.

pariter

riter ac humori pręter naturam accidit locus ille; nec equidem habeo, vt minùs violenter cõtineatur humor in ſpongiarum latebris, quàm aer, ob quandam, vt inquit, in grauitate conuenientiã: etenim non ideò quòd graui etiam conſorti adhæreat minùs violenter ſuſtinetur lapis in aere; quin etiam faciliùs eodem hoc nomine adiuncta grauitate, veluti calcaribus additis, pręcipitatur. Tandem ſi fiſtula, qua ſolet alijs aqua ſuppeditari, ſpongiæ foramini, benè quandoque amplo, paretur ęqualis; non attrahet tamen aquam, nec fugiet indè aer, quamuis eandem loci rationem vrgere, neminem credo fugiat.

n Iul. Cæſ. Scaliger. ad Cardanum exerc. 5. n. 8.

Scaligeri modus improbatur.

[n] Scaligeri etiam onera non poteſt agitata nauicula ſuſtinere: hic enim conſimilem in calce, qua pariter, ac in ſpongijs ſubſilit aqua, difficultatem exagitans, duo præſertim comminiſcitur, alterum, aquam calcis calore exhalare, inq; halitum verſam efferri; alterum, calorem eundem contrarij frigoris pręſentia ſe ſubducere, ac eius in locum aquam proinde ſubire. quod vtrumq; alijs nauem oppreſſam incommodis fatigat: illud enim ſola in calce, non in ſpongijs, alijſque conſimilibus locum habet; cum neque id genus reliqua, etſi humorem rapiant, calore abundent. id verò aperta ratio infirmat, atq; conuellit: quippe vel caloris tantùm qualitatem è frigoris aſpectu aſſerit ſe ſubducere, vel cum ea qualitate ſimul & id, quod calidum appellamus. ſi prius, quem ergo locum aqua alioqui corporea ſubibit, cum nullum qualitas locum occupet, nullum, ſe ſubducens, deſerat? ſi verò poſterius aſſeueret. quid quæſo corporis in calce confinget, quod ex ea migrantem veluti calorem colligens, ſurſum etiã ſe ſe colligat, atque ſubducat è frigore?

Nõ trahunt humoré ſpõgiæ ratione caloris.

Quid? illud fortaſſe retinebimus, quo attrahi aquã è ſpon-

Aliorum opinio redarguitur.

è ſpongijs crediderunt [o] alij, quia è primis meatibus aquę immerſis expulſus aer proximum expellit, ſempèrque deinceps expulſo aeri ſuccedens aqua, quouſque impetus ille perſeueret, aſcendit? haud equidem; quin hoc etiam onere nauis leuabitur: etenim aer è primis illis aquæ immerſis meatibus expulſus tantùm ſibi finitimum aerem concitabit, quantùm & ipſe concitatur ab aqua; vt quantum loci ſuccedenti aquæ liberum ceſſit, tantum poſſit expulſo proximo aere occupare, nec inde ſe moueat, ni priùs commoueatur ab aqua.

[o] Fabius Pacius in quartũ methodi med. ſub expoſ. cap. 4.

Cœterùm quamuis tot leuata ponderibus nauis, adhùc tamen fluctibus agitatur; quin auctorum partim ereptis, partim abiectis gubernaculis, fortiore ventorum impetu laceſſitur; mare hinc apparet ſæuũ, & importuoſum, immenſo indè nubium tractu cœlũ ipſum obruitur, vndique ſpes ſalutis infringitur. Sed tanta in rerum calamitate refugium neſcio quod, dũ lumen coruſcante fulgure pręfertur, videor proſpicere. Sinus quidem eſt, etſi tempeſtatis diſcrimine non vacuus, ventorum tamen impetu ſecurior, hiſque præſertim temporibus tenendus: ita nãq; apud [p] Platonem prouerbio admonemur, vt niſi quę cupimus, ea ſaltem teneamus, quę poſſumus. Eius illa mihi videtur deſcriptio.

[p] Plato in Hippia maiore.

Propria auctoris opinio explicatur.

Principio ſpongiarum ſubſtantia affluente humore imbuta turgeſcit, nullòq; certo pororum, vt aiunt ordine circumſcripta ſe ſe quacunque dilatat; vbi verò ſecundùm partem humore imbuitur, ſecundùm partẽ quoq; turgeat, ac ſe ſe extendat par eſt; eaque re fit, vt inferna parte humore affluente dilatata, continuitatis lege, ſuperiorem proximam ad ſe contrahat; iſta verò coacta quadam, contractione partibus humore imbu-

tis

tis adhęrens, eas dum tangit, eodem humore tingitur, & imbuitur; rurſus verò hęc eodẽ humore pariter imbuta turgeſcit, eadèmq; ratione ſuperioribus partibus contractis, humorem, tanquam per manus, ſuppeditat; iſque modus eſt, quo ſenſim, & ſinè ſenſu ſpongię, & reliqua conſimilia humores attrahunt; quẽ ſi velimus indicijs confirmare, tum plurima eſſe poſſunt, tum pręſertim ea: nam ſpongiæ, aliàq; hoc attrahentium genere comprehenſa, corpora ſunt, quæ contrahi, dilatarique, atq; diſtendi facilè poſſunt, quin ſi tantùm humana induſtria diſtendantur, vt ampliùs porrigi nequeant, quoniam illa extenſionis, compreſsioniſque capacitas capacitatem non habet, etſi aliqua ex parte imbibantur humores; non tamen ad alias trãſfunduntur, vt in funibus longè, fortitèrque diſtenſis obſeruamus; cum verò nihil præpediente, humores vndique diffunduntur, tunc ſemper contracta longitudine, breuiora hæc corpora experimur. euidens ſanè argumentum, humores ea contractione proximis partibus ſuppeditari. quare vel lapides, qui inſita quadam mollitie poſſunt latente quadam diſtenſione turgere, ſolent pariter humores proximis partibus transfundere, quò autem corpora molliora ſunt, eò promptiùs, atque latiùs. Quid? quod in calce idem planè modus fit omnibus euidentior? quippe inferiores eius partes ita humore affluente dehiſcunt, atque ſoluuntur, vt ſuperiores, baſi euerſa, concidant; concidentes verò eodẽ humore imbibantur, illũ pariter alijs trãſfuſuræ.

A calce cur attrahantur humores.

Vndiq; iactatę nauiculæ, in tãta rerũ omniũ deſperatione, hæc vnica eſt, & pertenuis, licet his fortaſſe tẽporibus firmiſſima ſpes ſalutis, quæ ſi forte alicui nõ arrideat, ipſe vel tutiorẽ afferat, vel firmiorem excogitet. Nos interim, donec ſedandi erunt fluctus, & pacanda tempeſtas, ſub hoc refugio quieſcemus. Quid

Quid cauſſæ ſit, quamobrem argentum viuum rapiatur ab auro.

EXERCITATIO XVII.

OPinabar equidem Academici, inhumanã illã, qua homines tã perditè ſtimulantur, auri libidinem, vt inopia excitatã, ita cumulata auri poſſeſſione explebilem. quare eos non poterã non mirari, qui fortunis, opibùſq; affluẽtes, rurſus effrę natiore earundem inualeſcente libidine, inter vberrima diuitiarum flumina ardentiùs ſitiebant. Sed nunc, aliqua ex parte, horum omniũ cauſsã ad ipſummet aurũ referri planè intueor: in hoc etenim adeò immanis, & inexplebilis diuitiarũ cupiditas dominatur; vt facillimè homines, qui neſcio, aurumne poſſideant, an magis ab eò poſſideantur quadã veluti contagione, earundẽ reddantur auidiſſimi, & quò affluentiùs illis aurũ cumulatur, eò ſitim hoc pariat grauiorẽ. tantã verò diuitiarũ libidinẽ eſſe in auro, vel ex eo poterit quilibet, non modo conijcere, ſed planè etiã intueri: nã celebre illud, vnùmq; poſt aurũ potiſſimũ diuitiarũ firmamentũ, argentum inquã, tanta auiditate ab auro expetitur; vt ſumma quadã violentia attrahatur.[a] grauiſſimos huius rei teſtes medicos adhibeo, qui tantã auri vim in eo argento, quod viuũ appellãt, attrahendo experiuntur; vt, quãuis argentũ hoc aliorum cõmiſtione repreſsũ, & in penitiſſimas humani corporis particulas, per anguſtos cutis meatus, immiſsũ; adhuc tñ ab auro, in ore contento, ſuperatis viarũ anfractibus, rapiatur. in his verò, quibus argentũ ab auro trahitur, viribus exponendis, ne noſtrũ munus, noſtràſq; partes defugere videamur, noſtris hodie viribus periculum faciemus.

Argentũ viuum per humanum corpus diſperſũ ab auro in ore contẽto attrahitur.

a Leuin. Lẽ. lib. 2. de occultis naturæ mirac. capit. vltimo.

Et ſanè ſummã huius rei difficultatẽ, nobis maximè pertimeſcendã, vel ex eo licet pręſertim cõiectare: nã, nec pares huic rei exponendę vires ſuppetunt, nec, ad quos cõfugiamus, auctores occurrũt: vt enim grauiſſimus auctor [b] Fracaſtorius, hoc problematis expediẽs, vno ſimilitudinis nomine difficultatem ſe planè credidit exorbuiſſe. quare attrahitur inquit, argentum viuũ ab auro propter ſimilitudinẽ, & ſympathiam; quæ verò hęc ſimilitudo ſit, quibus hęreat firmamẽtis, quas machinas ad attrahendũ adhibeat enarrare nobis prętcrijt; ita, & nos cõmentitijs tantùm rebus, nullàq; ratione effutitis nullã fidem pręſtare debemus: nerui enim atq; artus ſapientiæ, vt inquit * ille, ſunt non temerè credere; nec toties inculcatum ſympathiæ nomen poterit nos inanis vocabuli ſonitu commouere, ni quid ſolidius ea ſub ſpecie adumbretur.

b Fracaſt. de ſympat. & antipat. c. 11.

Fracaſtorij ſentẽtia improbatur. Argentũ viuum nõ trahitur ab auro ratione ſimilitudinis

* Cic. de Petit.

[c] Dum verò qui Chimici appellãtur, hoc argentũ, qđ ipſi, neſcio, qua analogia, Mercuriũ vocitãt, ea ratione ab auro attrahi contendunt: quia, & in aurum, tanquã eius materia conuertitur; præterquam quod rem ea planè licentia confingunt, qua idẽ argentũ in aurũ ſe ſe verſuros pollicentur; quotidie tñ aurum abſumunt potius, quàm abſoluant; adhuc, & modũ, quo propriã materiam attrahat aurum non exponunt: cum ſulphur, quod auri pariter materiam [d] ipſi credunt, non attrahat, & plurima alia ſint, quę à rebus, quas conſtituunt, nec tantulùm attrahantur.

c Ex Alberto de metallis.

Chimicorũ opinio reijcitur. Argentũ viuum nõ trahitur ab auro, quia in eius materiã conuertitur.

d Ex Alberto 4. lib. de minera. c. 7. & Petro Aponẽl. in 11. ſect. problẽ. problem. 8.

Rẽ itaq; nos, qualeſcũq; ſumus, tentãtes, vt ratione, & via procedens oratio veritatem faciliùs aſſequatur, omniſque difficultatis nodus extricetur; prę omnibus quid de huius argenti qualitatibus medici ſenſerint, quid nobis pariter ſtatuendũ ſit operępretiũ eſt, ad materias expediendas, non inculcandas examinare, quod argu-

Digitized by Google

argumenti, vt libro, quem de lue gallica ſcripſi, cumulatè mihi expleſſe videor, ita aliqua ad hanc rem, inde mutuata, attingam.

Cur medici diuerſa de argenti viui tẽperamẽto ſenſerint.

Porrò omnis medicorum in huius argẽti viribus ſtatuẽdis hęſitatio, atq; omne diſcrimen eius principij negligentia ſerpiſſe, ac deinde inualuiſſe mihi videtur, qđ diligẽter quauis in re explorandũ monuit [e] Galenus; plurima ſcilicet, quæ ſimplicia aſpectu eſſe videntur, multis deinde, & inter ſe ſe contrarijs particulis coagmentari; vtq; [f] Galeni etiã exemplis vtamur. quis obſecro vos, ſenſui fidẽ adhibens, ſimplicem, vnaq; materia conſtantẽ non crederet ſulphureã aquam, quã tamen certò ſcimus, pugnantibus inter ſe ſubſtantijs cõpactam? quis vnius etiã conditionis nõ diceret aluminoſas aquas, eadem partium repugnantia conflatas? Non diſſimili ratione qui contrarias partes in hoc argento minimè explorarunt, in eius viribus enarrandis hęſitãt, maximàq; opinionũ varietate diſſentiũt: quippe [g] hi frigidũ illud aſſerunt, atq; humidũ; [h] illi, non modo calidum, atq; ſiccum; ſed planè cõburens; quãdo [i] alij frigidum, & ſiccum; [k] alij calidũ, & humidũ pollicẽtur; vt his omnibus meliùs loquutus videatur [l] Galenus, qui vltrò, ſe nihil de huius argenti qualitatibus noſſe confitetur. Ecquis omnino poſſet, huius argenti partibus non diſtinctis, qualitates, quæ in pugnãtibus effectibus contrarię vidẽtur, deſignare? diffluit hoc argentũ, vt aqua; alienis rebus non permiſcetur, vt ignis deprimitur grauitate, vt terra; calefactum eleuatur, vt ignis. expirat in vapores, vt aqua; liquat concretos humores, vt ignis. quàmaltiſſimè penetrat, vt calor; repellit, vt frigus. exeſt, vt ſiccitas; relaxat, vt humor; & deniq; incredibili effectuũ varietate cõtrarias ſemper facultates exponit. quare, vt opiũ, pręter amaras particu-

Varię de argẽti viui tẽperamento opiniones.

Fatetur Galenus, ſe non obſeruaſſe qualitates argenti viui.

Argentũ viuũ diuerſas, atque contrarias habet partes, contrariòſque effectus.

e Gal. toto 1. de ſimplic. medicam. facult.

f Gal. 1. de ſimplic. medicã. facult. cap. 24.

g Auic. in Canone lib. 2. cap. de argento viuo. Albert. 4. de mine. c. 2. & Fernel. lib. 2. de abditis rerum cauſſis cap. 14.

h Raſis 3. ad Almãſ. c. 34. Serapio de ſimplic. c. de argẽto viuo, & Fallopp. de metallis cap. 37.

i Fab. Pac. in ſeptimũ methodi med. tract. de morbo Gallico.

k Quidam, quos refert Sanctes Arduinus 2. de venenis c. 4. & Apponẽſ. in conciliat. differ. 151.

l Gal. 9. de ſiplic. med. facul. cap. de argẽto viuo.

las,quę calidę ſunt,alias [m] debet habere frigidiſſimas; ita,& hoc argentum frigidas,humidaſq; craſſiores obtinet partes,igneas alias,ac tenuiſſimas,quarum diuerſitate contrarios eos effectus pro varia applicatione abſoluit.has verò,quę ad noſtrum inſtitutũ pertinent, tenuiſſimas particulas in huius argenti cõpagine latitare ijdem effectus apertè demonſtrant:penetrat enim hoc argentũ,quemadmodum notauimus,è cute ad abditiſſimas humani corporis particulas,ita,vt,per membranarũ denſitatem ſe ſe inſinuans, facillimè ad penitiorem oſſiũ regionẽ,non qualitate modo, ſed propria etiã ſubſtantia pertineat; humida deinde non ęgrè extenuat; duriſſimos pręterea tumores diſſipat,vel facilè liquat. vniuerſa deniq; corrodit;vt his omnibus ſatis eſſe poſſit ad tenuiſſimas illas particulas cõprobandas argumenti. quid? quod artifices huius argenti miniſterio vaſa auro obducentes,maximo ſui incõmodo ad caput particulas illas prę tenuitate euolantes experiuntur; vt niſi aperto cœlo, quo faciliùs expirationes illę diffunduntur,id operis abſoluerẽt,facillimè,obruto illis capite,opprimerenrur? ac ſi velimus pręterea partium earundem quandã veluti ſpeciem adumbrare, poterimus fortaſſe eas dicere ſulphureas,vt omnes ſapientes ſenſiſſe perhibet [n] Apponẽſis:ita enim fumus, qui ex eo argento,caloris opera,vberrimus expirat,videtur neſcio quid ſulphuris redolere: quoniam verò è materia excitantur eędẽ partes craſsiore,humida, & aquę naturę proxima, hinc aliqua humoris commiſtione lentorem quendam acquirunt,quo nulla difficultate poſſunt quibuſdam partibus adhęreſcere.

His autẽ omnibus videtur,vel ſaltẽ plurimis huius argẽti conditionibus magna ex parte auri conſtitutio repugnare: quãtùm etenim illud facillimè concitatur, vt

m Lege Auer.5.collig. cap.27.

n Petrus Appon. in Cõciliatore differ.151.& Albert.lib.4. de mineralibus cap. 2.

Argẽti viui qualitates.

Argentũ viuum tenuiſſimis prędi tũ particulis

Cur argẽto viuo vtentibus offẽdatur caput.

Tenuiſſimæ partes argẽti viui ſulphureæ ſũt.

Aurũ cõtrarias habet argento viuo cõditiones.

vt viuū hoc nomine appellāt, tantùm hoc nō niſi ſummis actum viribus cietur. illud omnino diffluens; hoc ſummè conſiſtens. illud prę nimia fere lętitia candidum; hoc ob multos, quos habet, vt dixit [o] ille, inſidiatores pallidum. illud maxima partium varietate compactum, & multiforme; hoc adeo ſibi, ſuìſq; particulis vno ordine conſentiens, [p] vt nulla vnquam arte, nulla, vel caloris opera diuerſę ab auro particulę excitentur, ſeu, quemadmodū in omnibus fit, alię ab alijs ſeiūgantur; eadèmq; hęc cauſſa ſit, quamobrem auri, nec igne liquati, pōdus extenuetur, & nihil ipſius, vt inquit [q] Plinius, depereat. quod verò ad rē noſtrā expendere luculenter debemus in auro, ſumma ipſius denſitas eſt, qua tātùm pollet, vt ea ſolùm ratione omnium metallorum grauiſſimum, vel ipſo hydragiro librāte, [r] cuius ſuperficie, alijs omnibus fluitantibus, vnum aurum demergitur, cenſeatur. Ecquæ, pręter dēſitatem, alia poſſet tantę grauitatis parens in auro, puriſſima, tenuiſſimàq; materia cōpacto, aſsignari? vel quęnam grauitate certior ſoboles denſitatis, cuius viribus etiā ligna, omni veluti expreſſo aere, ita redduntur grauia, vt [ſ] in aquam etiam immergātur? eadem deinde ſumma auri denſitas, quamobrem ipſum percuſſum grauiùs, atque obtuſiùs reſonet, cauſſa credēda eſt: quippe ea percuſſione cōcitatus aer tardiùs per denſas auri particulas impellitur, ſonitùmq; ea tarditate grauē reddit, & obſcurum. denique, ſi rationem, qua magis vigeat in nōnullis corporibus dēſitas inquiramus: cum hęc propriè arctiſsima quadam partium connexione conſiſtat; hęc verò ſtrictiùs inter eiuſdē ordinis particulas habeatur: quippe quæ eò aptiùs vinciuntur, quò propiùs natura conſentiunt. meritò vel ſummā in auro denſitatē coniectabimus: hoc enim maximè vniforme, vniùſq; prorſus

[Left margin notes:]
Cur auri liquati pōdus non minuatur.
Aurū eſt ſūmè denſum.
Aurum cur omniū metallorū grauiſſimum.
Cur ſolū aurū intrà argentū viuū demergatur.
Cur quædā ligna in aquā immergātur, atque deſcendant.
Cur aurum ſonum reddat obtuſū.
Vnde fiat denſitas in corporibus.

[Right margin notes:]
o Diog. Cinicus referēte Laertio in eius vita lib. 6.
p Ex Albert. 4. de mineral. cap. 7.
q Pli. lib. 33. cap. 3.
r Ex Pli. lib. 33. c. 6. & Leuino Lēnio de occult. nat. mirac. cap. 35.
ſ Leuinus Lēnius ibid.

ſus modi partibus compactum iam prędiximus.

Iàmq; pro sũma, quę ſolet inter ſe ſe pellicientia intercedere amicitia non leuẽm videor ſimultatẽ inter aurum, argentùmq; tanta conditionũ repugnantia detexiſſe. & poterit his ad hanc rem explanandã poſitis, cauſſa, qua argentum viuum ab auro attrahatur innoteſcere, quæq; ſolent in alijs eſſe incitamẽta repulſus, erunt in his vincula attrahendi? quidni? cũ enim huius argenti, & noſtro, & eorũ, quibus ipſum commiſcetur, calore tenuiſsimę illę particulæ excitẽtur, & à craſsioribus quodãmodo liberæ altiùs euolent, hinc eadẽ tenuitate duce rariora noſtri corporis membra penetrãt, atq; peruadunt: qua enim regione aditus nõ pręcluditur, ſe ſe facillimè inſinuant, ac præteruolant. vbi verò eas partes attingunt, quæ cęteris magis occluſę, ac dẽſiores, peruadentibus illis particulis non ſunt peruię, tunc circa huiuſmodi partes, tum illa veluti denſitate coercitę, ſtabulantur, tũ proprio illo, quem notauimus lentore tenaciùs hęrent, atq; diutiùs firmãtur; qua ratione sẽper excitatę huius argẽti particulę oſsibus, medicorum teſtimonio, hęrere videntur, tantàq; pertinacia, vt potiùs eas partes continua obſidione exedant, quàm liberẽt. idq; cauſſę eſt, quamobrem eorũ, qui hoc argẽto liniuntur, oſſa ſępiſsimè aliquid offenſionis incurrant; quin, & hac ratione mulieribus, quę frequẽtes ex huius argenti particulis compoſito fuco faciei vitia occultant, dentes labant, exeduntur, decidunt, vt in pęnam non neceſſarię formę neceſſaria oris ornamenta depereant. hęc eadem deniq; cauſſa eſt, propter quam idem argentum ab auro videatur attrahi, cũ re vera nõ attrahatur; ſed ea ſolum ratione tenuiſsimis ſuis particulis aurũ (quemadmodũ in oſsibus dicebamus) attingens, circa illud maxima ipſius dẽſitate, & proprio illo lentore

Cur argentũ viuũ ab auro attrahatur, auctoris ſẽtentia.

Cur eorum, qui argento viuo liniuntur, oſſa offendantur.

Cur mulieribus fuco vtẽtibus lædãtur dẽtes.

Digitized by Google

lẽtore quodãmodo coercetur; quod etſi in alijs quoq; metallis, aliqua ex parte, eueniat; eò tamẽ largiùs, atq; faciliùs in auro, quò hoc ipſum metallis cęteris omninò denſius eſſe probauimus: ea etenim denſitate tum arctiùs inſident argenti particulę, & ſecundùm minima receptę quodãmodo concluduntur, tũ penitùs hęrentes, & ſe quaſi inuicẽ conculcantes ęgriùs liberantur. ad alia verò quia ita in minima diuiſę, ob patentiorem illorum aditum, ferri non poſſunt; idcirco, vel obſiſtentibus craſsis particulis, ſe ſe nõ immittunt, vel immiſſæ non concluduntur, vel concluſæ nõ adhęreſcunt; vt inde videatur in vulgus, auri hoc argentũ attrahẽtis opinio peruagata. Eã verò rem ita profectò ſe habere illud omninò confirmat, quod, & nos experti liberiùs alijs pollicemur, tunc ſcilicet hoc argentũ auro pertinaciùs adhęrere, cũ, vel calor tenuiſsimas illas particulas ita diſſoluit, vt liberè poſsint ſuopte impetu diſcurrere, vel cum atterentis manu extenuantur ſimul, & in auri abdita immittuntur, certiſsimum quidem eorum, quę probauimus, argumentum.

Quando argentũ viuũ pertinaciùs hęreat auro.

Sed ſi tantùm earũ conditionũ diſcordia, nõ minùs fortaſſe & ſe ſe in aurũ inſinuãs argentũ concors vtriuſq; conformatio obſecundat: hoc enim etſi ita fluidũ, vt alieno quouis termino facilè concludatur, ſe tamen propriè in rotundã, ſphericàmq; figurã colligit, &, vel minimas ad particulas redactũ ſe conformat in orbẽ; vt hęc ratio ſit, quamobrem cõtinuò diffluat, omniſq; compreſsionis impatiens, eius figuræ volubilitate diffugiat. rationem verò, cur tali ſub ſpecie conglobetur, poſſemus fortaſſe cum [t] Cardano, ad refugiendum ſicci contactũ opinari; niſi, & in aqua, omnis prorſus ſiccitatis experte, ſe non minore auiditate, an metu, ſub eodem orbe contineret; vel nõ diſpliceret cũ [u] Scaligero,

Argentũ viuum ſe ſe colligit in orbem.

Argentũ viuum cur ſẽper diffluat.

Cur argentũ viuum ſe cogat in orbem, Cardani ratio reprobatur.

[t] Cardanus de ſubtilit. lib. 5.

ad

a Iul. Cęſ. Scaliger. ad Cardanum exercit. 105. num. 2.

De eodem Scaligeri ſententia redarguitur.

ad vnitatem, quę in homogenis appellatis corporibus melius ſeruatur in globo, referre; niſi, & nos ſuprà eſſemus hoc argentū maxima partium varietate cōpactum arbitrati, vel niſi, & alia, nec diſsimilia forent à globi ſpecie aliena. probabiliùs itaq; arbitramur, illud eſſe humidi ingenium, vt, vel alieno termino coerceatur, vel proprię libertati permiſſum diffluat ſponte ſua. vbi verò ita vrgetur, vt, nec eo modo coerceri, nec poſſit ſuopte nutu diffluere, tunc elementi figuram ſubiens, ſe ſe cogit in orbem, vt quando, nec proprio motu diffluit, nec ab alijs continetur, communi ſaltē figura finiatur; ne quod finitū eſt, ſine fine permaneat; cuius rei non leuiter adumbratum ſimulachrum ſpectare licet in aqua, è nubibus delabente, quę, nec aeris tenuitate coercita, nec, ob inſitæ grauitatis impulſum diffluens, orbis ſpecie circumſcribitur. non diſsimili ratione argenti viui humiditas, nec ita ſicco admiſta, vt ab eo coerceatur, nec ita libera, vt valeat ſponte ſua diffluere, circuli, vt dicebamus, figura terminatur. Altera verò ex parte, aurum, non modica naturæ elaboratum induſtria; ſed ſuis omnibus numeris, atque partibus abſolutum, eſt adhuc foraminum, quæ poros vocitant, conſtitutione perfectum, & quoniam horum perfectio in rotunditate conſiſtit, hinc argentum viuum auro, tanquam ſede omnium ſuæ figurę aptiſſima, faciliùs recipitur, & conquieſcit. Sed quamuis attracta argenti copia nunquam aurum, vt pręmonuimus, expleatur; noſtra tamen de auro attrahente oratio iam expletur.

Cur argentū viuum figuram ſubeat orbicularē, auctoris ratio.

Aqua è nubib⁹ delabēs cur ſe colligat in orbē.

Aurū poros habet omninò rotūdos.

Cur

Cur Magnes ferrum attrahat, aliorum opiniones coarguuntur.

EXERCITATIO XVIII.

EN tandem mirabilis illa me ſolicitat vis Academici, quæ vna etſi omniũ maximè vulgaris, adhùc tamen celeberrima; etſi antiquiſſima, adhuc ignota; etſi ob rerum, ad quas pertinet, vilitatem inculta, & horrida; adeò tamen ſui ipſius nomine glorioſa, vt reliquorum attrahentiũ vniuerſitas, quãuis vbere calore fęcunda, ſimilium coitu amãtiſsima, emergẽtibus fluuijs voluptuoſa, ſolis opera illuſtris, alimentorũ luxurie periucũda, medicamentis vtiliſsima, argento, & auro opulenta; huius tamen prętantię facilè cedat, & vltrò gloriæ primas tribuat. Ea me iam vocat attrahendi vis, cuius inueſtigatio licet perdifficilis, & inuoluta, etiam non relicta; licet acerrimis tentata ingenijs, etiam peregrina; licet pluribus deſperata, etiam curioſa. Magnetis inquam, ferrum attrahentis vis iam ingenij vires exigit; meum iam munus tacitę expectationi obſequitur, omniũmque prę cœteris curioſa huius rei admiratio me ſolicitat. Et ſanè quis eam quæſo vim non admirabitur, qua ferrum, licet inanimum, magnetis tamen ſentit aſpectum, nullas adhibens alas ad eum aduolat, illumq; ita ſinè brachijs amplexatur, vt nullo glutine duriſsima inter ſe coeant, nec molleſcant, nullo nixa firmamento pendeat ferri grauitas, nec labatur? Mirabile quidem eſt inter lapidem, atq; ferrum nouã amoris ſpeciem intueri; dum ille ferrum, etſi horridus, excitat, informis allicit, elinguis aduocat, & vnius aſpectus imperio vincit; hoc autẽ nullis præditũ oculis ſe ſe

Magnetis vis omnib' alijs attrahẽtibus præſtat.

Magnetis ferrũ attrahentis admirabilitas.

Amor inter ferrum, atq; magnetem.

Digitized by Google

conuertit ad illũ; carens ſenſibus inhiat contactui, impenetrabile vnius aſpectus iaculo confoditur, atque ita amoris vulnera ſentit quod vulnerare alios conſueſcit; quin ſimul

a Claudianus epigrã. 2. de magnete.

[a] *Flagrat anhela ſilex, & amicam ſaucia ſentit*
Materiem, placidóſque chalibs cognoſcit amores.

Sed hoc præterea amator hic à noſtratum amorũ lege ſeiungitur: non enim refugit riuales, nec angitur zelotypia ſi eo alij potiantur, quod tam auidè concupiſcit; quin etiã alios, quaſi in riualitate felicior, excitat amatores, vt longa plerumq; concatenatio, quemadmodum inquit [b] Plato; ferri anulorum inuicem pendeat vi magnetis attracta, & vt refert [c] Lucretius.

Ferrei anuli ſucceſſiuè ad catenæ figurã à magnete attracti.

b Plato in Ione. c Lucret. lib. 6.

Hunc homines lapidem mirantur: quippe catenam
Sæpe ex annellis reddit pendentibus ex ſe.

Et quod mirabilius eſſe debet, [d] ferrei quãdoq; claui quàm altiſſimè nauibus infixi ſola magnetis opera dicuntur extracti; vt hoc præſertim nomine clauis nõ confixa ferreis conſtruantur nauigia, quæ ad magnetis montes appelluntur. * vt illam interim ſtatuam in templo Serapidis ſublimem vi magnetis pendentem omittamus. ita cũ nihil ſit lapidis rigore pigrius, nihil aſpectu horridius, poteſt tamen tot naturæ miracula vnus abſoluere, vt quantùm viribus pręſtat, tantùm meritò cenſeatur reliquis naturalibus glorioſior, &, vt inquit, [e] Claudianus

Ferrei claui nauibus infixi à magnete attracti.

d Ex Serapio. de tẽperamẽtis ſimpliciũ c. 384. & Io. Bapt. Porta lib. 7. Magiæ natur. cap. 1. * Suida ſub Col. 900. in verbo Magnes.

e Claudianus ibidem.

lapis eſt cognomine magnes
Decolor, obſcurus, vilis, non ille repexam
Cæſariem regum, nec candida virginis ornat
Colla, nec inſigni ſplendet per ſingula morſu;
Sed noua ſi nigri videas miracula ſaxi
Tunc ſuperat pulchros cultus, & quicquid Eois
Indus litteribus rubra ſcrutatur in alga.

Sed

Sed ſi adeò mirabilis eſt,huius lapidis vis, ferriq; attractio, non minùs fortaſſe erit philoſophorum in eius ratione explicanda varietas. Qua in re primus omniū [f] Thales, vt pari etiam firmamento tantā vim in lapide ſtabiliret,magnetem credidit animatum, & animæ eā vim tribuit,qua ferrum attrahitur. Cuius ſanè dogmatis multos poſt annos reſtitutor [g] Cardanus,cauſſa inquit,cur ferrum magnes attrahat eſt, quia viuit, ferròq;,vt alimento,vtitur; quin eo præſertim arguméto lapides omnes in viuentium numero repoſuit,nam ſenio confectus magnes ferrum non attrahit., ſqualet vt viuens,nullàq; exeſus carie,proprijs tandē viribus deſtituitur;at ea,quę ętate marceſcunt,ſqualent,& extinguntur, vel ſenſus ipſe viuere approbauit. Ego verò hanc magnetis,lapidùmq; animā ſæpe animo verſans, vt ſqualorem,& ſenectutem Cardanus aduerterat,ita & continua temporū viciſſitudine,nunc virium in illis robur,nunc earundē languorem intrà vnius anni curriculum expectabā: nihil etenim eorū,quæ vita fruuntur,eſt,quod duro anni tēpore non opprimatur,placido non recreetur, & vnius nunc tempeſtatis beneficio vigeat,nunc alterius iniuria langueat,vt quę ętatum ſucceſſione varietas,ferè eadem vnius anni tēporibus cōcludatur,eòq; præſertim nomine [h] hæc diuerſis vitę partibus ſint aſſinia;quis verò magnetē,vel lapides vnquā vidit vnius anni decurſu eā viciſſitudinē ſubijſſe, ſtatiſq; tēporibus,ſuis nunc viribus deſtitutos, nūc reſtitutos? Rurſus,& quod vniuerſis planè viuētibus perpetuum eſt, auidiùs expetebā, certā ſcilicet in lapidibus figurā,certùmq; ſuę conformationis terminū,atq; modū: reliqua enim omnia animantia certis quibuſdā propriæ figurę terminis circumſcripta,eiuſdem ſpeciei, vel ſolo aſpectu,referunt vnitatem;at quæ magneti,ac

Thaletis opinio.

Cardanus Thaletis opinionem approbauit.

Cur lapides viuentes crediderit Cardanus.

Thaletis, & Cardani opinio reprobatur.

Nec magnes nec lapides alij viuunt.

Quodnā eſt omnibus viuētibus cōmune.

Omnia viuentia ſunt figura quadā propria prędita.

[f] Ex Ariſt. j. de aīa tex. 32 & Diog. Laertio in vita Thaletis lib. 1.

[g] Cardanus lib. 7. de ſubtilit.

[h] Ex Pythag. vt refert Diog. Laert. in vita Pythag. lib 8.

omnibus vnius ordinis lapidibus figura cõmunis? pluribus ille angulis inciſus, hic rotundus; alius aſper, læuis alius; plurimi ad quadrati, non pauci ad formam trianguli conſtruuntur, omnèſq; tandem varia lineamentorũ conformatione diſſentiunt. habent ad hæc, animãtia vniuerſa partes quaſdã alijs ad vitã regendã efficaciores, magiſq; etiã principales, quo in genere animalibus sũt viſcera, ſtirpibus radices, atq; medullę; at neq; magnes, neq; lapides aliquã videntur his aſſimilẽ particulã obtinere; quin etiam omnes vnius ordinis, &, vt inquiunt, ſimilares. deniq; neceſſaria illa, [i] omnibus viuentibus inſita, & naturalis ſimilium procreatio non magneti, non lapidibus conceſſa, ipſos animę expertes omninò poterit atteſtari, ac proinde non viuentium more ſeneſcere; ſed vt plurima inanimata ab aere, vel alijs conſimilibus, longo tẽporis tractu abſumi; quin illam attrahendi vim neq; eſſe animæ argumentum, eo facillimè arguetur: quippe nulla vnquã ita potens animæ vis eſt, vt ea, quæ à ſui corporis compagibus ſeiunguntur, valeat attrahere, vel quauis ratione cõpellere, & vbi aliorum agentium vis ad certam quandam diſtantiam effunditur, ea, quæ animantibus competit, non poteſt ad illa, quę non attingit pertinere.

Non habent lapides communem figuram.

Vniuerſa viuentia quaſdam partes habent minùs, & quaſdam magis principales.

i Ariſt. 2. de aia tex. 34.

Propriũ viuentium eſt generare.

Cur magnes aliique lapides ſeneſcere videãtur.

Nulla anima attrahit qđ extrà ppriũ corpus eſt.

Poſt Thaletẽ Plato, qui vnus acerrimo ingenio poterat tãta difficultate perturbatos animos trãquillare, [k] vel de hac re iudicium in diligentes inueſtigatores tranſtulit, [l] vel diuinam hanc lapidis vim eſſe voluit, quo loco Ionem benè de Homero loquentem, non arte, ſed diuina quadam vi aſſerit commoueri, ſicut in lapide inquit, quem magnetem Euripides nominauit. quod etſi videatur ad rem amplificandã potiùs, quàm exponendam vſurpatum, verè tamen alij ſunt, qui ad diuinas vires attrahentis magnetis operam detulerũt, quorum

Platonis de magnete sẽtentia.

k Plato in Timeo.
l Plato in Ione.

Diuinas magnetis vires crediderunt Auicēna, & Galenus.

quorum in numero nō ſolus [m] Auicenna eſt, qui vim, qua ferrum attrahitur, euidentiſſimè voluit è diuinis viribus emanare; ſed etiā [m] Galenus, qui magnetē pariter attrahentem enarrans, Deum inquit, eam eſſe naturam, quę diuinas eo pacto ſuas vires oſtendit; vt his melius ſenſiſſe videatur [o] Alexander, qui non diuinā eandem vim, ſed Deo dumtaxat cognitam arbitratur. qui omnes, vt quid verè ſua ferat ſententia nunquam poterunt enarrare, ni ſe etiam quodammodo fateantur ignaros, ita quibus poſſint artibus redargui nos neque vltrà ſapere confitemur.

m Auic. lib. de viribus cordis tract. 2. cap. 10.

n Gal. lib. de theriaca ad piſonē c. 3.

o Alex. j. lib. problematū in proemio.

Magnetis vim Deo ſolùm cognitā dixit Alexāder.

Platonis, aliorūq; ſententia refellitur.

Epicuri opinio.

Poſt Platonem [p] Epicurus omnia, iuxtà Democriti inſtitutum, atomorum turba expediens, eas inquit, è magnete ſimul, ferròq; effluere, ac ſibi mutuò concurrentes tali figura coire, vt ſe ſe etiam amplexentur, eòq; complexu ferrum attrahant ad magnetem. quę quidem ſententia quamuis non iniuria, celebris, & cātata garrulitas à [q] Galeno dicatur, nō tamen ſolo hoc debet, vt eſt apud eundem auctorem, verbo redargui; ſed fortiùs rationibus opprimenda. quare etſi nos effluentes illas vndiq; atomos libenter, & facilè concedamus; quis tamen in exilibus eis corpuſculis, vel quolibet modo ſe ſe amplexantibus, tantum virium ineſſe ſibi poterit perſuadere, vt ipſarum impetu grauiſſimū alioqui ferrum rapiatur? vel ſi tanta eſt illarum efficacitas, cur magnetē, qui procul dubio faciliùs cietur, ad ferrum nō deferunt? vel quo deniq; conſilio, atomorū ea vis, quę è magnete effluxerat, ad magnetem deinde, dum ferrum attrahit, reuocatur, & quò non leui impetu, libera tamen euolarat, nullo pulſu, & alieno pondere onuſta recurrit? vt quàm certiſſimè ex his ferrū non poſſe atomorū opera ad magnetē moueri aſſeueremus.

p Ex Gal. lib. 1. de natural. facult. cap. 14.

Epicuri opinio confutatur.

q Gal. ibid.

Non trahit ferrum magnes per athomos, vel exigua corpuſcula.

Atomorum etiam operam prætendens ex Epicuri

fami-

Digitized by Google

r Lucret. cit. lib. 6.

familia r Lucretius, è magnete illis largiùs eff luctibus vniuerſum inter lapidem, ferrùmq; interiectum aerem diſcuti ita confinxit, vt aer, ferri compagibus incluſus, ad inanitatem euitandam accurrere vrgeatur; quoniã verò aer hic, ſumma ferri duritate arctiſſimè cõcluſus, nequit ſolus, eis præpeditus vinculis, aduolare; hinc ferrum, quaſi nauim, quæ ventis agitur, propellit, eòque impulſu concitat ad magnetem. quare inquit.

Lucretij ſententia.

Principio fluere è lapide hoc multa neceſſe eſt
Semina, ſiue æſtum, qui diſcutit aera plagis,
Inter qui lapidem, ferrùmq; eſt cumque locatus.
Hoc vbi inanitur ſpatium, multiſq; vacefit
In medio locus, extemplò primordia ferri
In vacuum prolapſa cadunt coniuncta, fit vtque
Annulus ipſe ſequatur, eàtq; ita corpore toto.
Nec res vlla magis primoribus ex elementis
Indupedita ſuis arctè connexa cohæret,
Quàm validi ferri naturæ frigidus horror,
Quò minus eſt mirum, quod paulò diximus ante,
Corpora ſi nequeũt ferri, quin annulus ipſe ſequatur.

Eadẽmq; hæc quodammodo probans Platonici Timei expoſitor ſ Ficinus, magnes inquit, ac ferrum ita naturaliter ſunt affecta, vt in ſe inuicem vehementer agant emiſſione vaporis, atque virtutis, per quam aer vtrinq; ad vtrumque pulſus, primò quidem inter hęc cogitur in anguſtum, mox verò hinc effugit in amplũ, quo effugiente, cõcludit hic auctor, ne accidat vacuũ, moueri ferrum ad aerem mox ſupplendum. Addit verò cauſſam, quamobrem eodem concitatus diſcrimine magnes non moueatur ad ferrum, quia hic, inquit, fortiùs in ferrum agens, vehementiùs impulit aerem ferro propinquum, atque expulit. Et ſanè ſi duo, quę mihi omnium videntur maxima, maximèq; ad hanc rem neceſſaria

ſ Marſil. Ficin. in appẽdice cõmentar. in Tim. Plat. cap. 84.

Ficinus videtur Lucretio aſſentiri.

Lucretij, atque Ficini ſententia improbabilis.

ceſſaria hi duo auctores præterea explicaſſent, iā ſtabilem, firmámq; de hac re ſententiam haberemus; eorùmq; alterum eſt, qua vi è magnete, quātumuis vberrimè effluentes atomi, vel vapores aerem illum diſcutiant, poſſintq; occaſionem inanitatis vrgere: alterum verò, cur potiùs à ferreis vinculis ſolutus aer, liberàque hac, qua ſpiritum ducimus, regione diſcurrens ad inſtātem illam inanitatem replendam non feratur; cum hic nullius ferri carcere detentus faciliùs concitetur: quę duo donec ſuis omnibus numeris expleantur, eā ſanè ſententiam cenſemus eneruatam, inſtabilem, ſolòque verborum ſonitu circumſcriptam.

Nō trahitur ferrum à magnete ob periculum inanitatis.

Eam vim, quam hactenus iſti vaporibus, atomiſue conceſſerunt, humiditati tribuit * Diogenes Apolloniates: ductilia.n.oīa priùs ponit emittere à ſe ipſis nata eſſe humiditatem quandā, & pariter trahere ab extrinſeco, illa quidem maiorem, hæc minorem, plurimā verò ferrum. magnetem deinde fingit terræ dominio impulſum plus attrahere humidi ab adiacente aere, quàm emittere, pręſertim verò cognatum, quale viget in ferro, ita vt ob ferrei humoris nimiā, vehementèmq; attractionem ipſum quoq; ferrum à lapide attrahatur. Quę ſententia, etſi in eis, quę gratis primo limine confingit aliquid firmitatis haberet, adhuc tamen ipſis in penetralibus laberetur: etenim quantumuis humidū madefacta è terra Sol alliciat, terram tamen ne tantulum quidem attrahit. vel ſi magnetem Sole credas in attrahendo humido potiorem, ferrum in eodem emittendo promptiùs terra, machinas, quibus huiuſmodi vires exerceantur, inducas oportet: quid enim ſola præſentia poterit nulla adhibita molitione, pręſtare? Cur deinde alia pariter, quorum cognata eſt humiditas, ſe nō attrahunt? vel quid eſt, quòd magnes magnetem

Diogenis opinio.

* Ex Alex. 2. lib. quæſt. natur. cap. 23.

tem non attrahit, cuius humiditate largiùs frueretur? His poſterior [t] Auerroes decantatam illam ſimilitudinis vim hac etiam in cauſſa confirmans, à magnete attrahi ferrum voluit, ob quandã vtriuſq; conuenientiam, atq; cognationem; quem pariter ſenſum approbans [u] Fracaſtorius ferè totus in latente quadam ſimilitudine inter ferrum, atq; magnetem conſtituenda verſatur; quaſi ea ſimilitudine expoſita, cauſſa etiã tãtę attractionis facilè eluceſcat. Nos verò, qui etiã ſimilitudine cõceſſa, nec attrahẽdi ferri modũ in magnete conſpicimus, nec cõcipimus verã adhùc cauſsã ab his auctoribus exoptamus: quas enim ferro ſimilitudo parabit ad volandum alas? quas ad accurrendũ machinas molietur? vel quos vncos magneti ad attrahẽdum præſtabit, quos funes adiunget? poſſunt quidem quę ſimilia ſunt ſe ſe mutuò ratione quadam tueri; nunquam verò ſe ſe poſſunt, niſi & ſentiant, intueri. poſſunt ſe ſe viciſſim appetere, non autem ſe, niſi & animalia ſint, petere. poſſunt tandem proximè poſita, etſi inanima ſint, ſe ſe qualitate afficere, nunquam verò nutu quodam allicere; vt inanis ſemper ad attrahendum ſit, niſi animã concitet, ſimilitudo, nihil valeat, niſi per quaſdam, vt [x] alibi probauimus, illecebras concitare. [y] Albertus huius rei veritatem, etſi quàmlongiſſimè, olfaciens, ad loci conditionẽ videtur huius motus originem reduxiſſe; quod quãuis deinde [z] Scaliger enarrauerit, non ſecùs tamen, ac ille, ea, quę hanc penitùs veritatẽ inuoluunt, & potiſſimas in hac re pariunt difficultates, calidiſſimo ſilentio declinauit: aſſerit enim ferrum à magnete non attrahi, non auſus tamen videtur quid magnetis præſentia præſtet explicare. ab interna vi ſe ſe ferrum ad magnetem mouere verius exiſtimauit; cur verò eò motu non deorſum propria grauitate

t Auer. 5. collig. cap. 21.

u Fracaſt. de ſympat. & antipat. c. 7.

x Exercit. 4.

y Albert. 7. phyſ. tract. 3. cap. 3.

z Scalig. ad Cardanum exercit. 102. num. 6.

Auerrois opinio.

Auerroem ſequutus videtur Fracaſtorius.

Auerrois, & Fracaſtorij opinio confutatur.

Non trahit magnes ferrum ratione ſimilitudinis.

Alberti, atq; Scaligeri opinio.

Quæ difficilem reddant Scaligeri opinionem.

tate feratur, neque aduertit. ſuo deniq; impetu ad magnetem, propriam veluti ad matricem, ferrum inquit properare; cur verò non qualibet interiecta diſtantia, nec qualibet mole accurrat, vt eorum mos eſt, quę ad propria loca feſtinant, tacitus omninò pręterijt; cũ debuerit præſertim explicare, cur duplici, & vtroq; proprio motu, ad magnetẽ ſcilicet altero, altero verò ad terræ centrum inanimatum ferrum concitetur? quare his difficultatibus, quę cuilibet ingenio negotium faceſſunt, primáſq; in hac re videntur obtinere, poſthabitis; videtur adhuc illis oppreſſa veritas tumulata.

Portę ſententia.

Omnium nouiſsimam videtur noſter [aa] Ioãnes Baptiſta Porta huius rei rationem perſcrutatus; magnetẽ quippe aſſerit adeò ferri naturę proximum, & affinẽ, vt iure illum poſſemus ferreum lapidem appellare; cùmq; tanta affinitas in lapidis ſimul, ac ferri commiſtione conſiſtat, neutrum videtur propriam naturam exuere; ſed acriùs eam à conſortis etiam viribus tueri; quoniã verò plus lapidis, quàm ferri in magnetis compagibus includitur; idcirco ne ferrum à lapidis viribus obruatur, alterius ferri conſortium ad ſui tutelã exoptat; vt quod ſuis nequit viribus, adiunctis veluti cõmilitonibus, aſſequatur; eàq; re magnes ferrum, non magnetem attrahit. quæ ſanè omnia argumentis, nõ quidem leuibus, confirmantur: ſiquidem magnetis, ferriq; fodinæ ſimul perpetuò cohęrent; ſæpe etiam confunduntur; non raròex magnete ferrũ elicitur, ferro ſemper magnes recreatur, & quod certius eſt, accenſis carbonibus ſepultus magnes ferream flammam eructauit, cum ea pariter ferrum attrahẽdi viribus extinctis. Sed ſæpe quæ primo aſpectu ſubtilitatem redolere videntur, futilitatem deinde, limata veritate, parturiunt; quid autem obſecro vos, magis poterit eſſe futile, quàm tã-

aa Io. Baptiſta Porta lib. 7. magiæ naturalis c. 2

Ferri, & magnetis affinitas.

Portæ opinio falſa.

ta, nec quidem iniuria, magnetem, ferrùmq; affinitate vincire, vt vtriuſque fodinæ quadã natura cohęreant, confundantur, inualeant; mox verò eadem inter ſe ita repugnãtia confingere, vt ferrum, magnetis compagibus cõcluſum, alterum ferrum ad ſui tutelã attrahere vrgeatur? vel quamobrem nequit magnes, ferro ſuperior, ſibi contraria propulſare, dum poteſt ferrum magnete inferius ſibi ſimilia attrahere? Sed ſolida ſint hęc omnia commenta, & penitùs neceſſaria. quis ergo indè modus poterit excogitari, quo ferrum, magnetis mole obrutum, cõſimile ferrum attrahat? neq; enim valebit ſe ſe tuendi neceſſitas ferrum reddere vncinatum, vel tacitis quibuſdam precibus alterius ferri mollire duritiem, flectere aſperitatẽ; cum plurima ſæpiſſimè occurrãt, quæ proprio calore deſtituta algent, vel alijs egẽt, nec calorem tamen, nec alia poſſunt allicere. vtinam omnia, quibus res indigent, natura ſuppeditaret, ita enim nec tot manca, atque deformia rerum vniuerſitas contineret.

Nõ ſunt partes ferri in magnete incluſæ, quæ ferrum attrahunt.

Iàmque profectò poſſem, his aliorum opinionibus expeditis, ab aduerſarijs reſpirare: niſi ea vulgò primũ concepta credulitas, eò rurſus maiore conatu eſſet ex animis euellenda, quò vel in optimi cuiuſque mentem videtur faciliùs irrepſiſſe; vt magis negotiũ plerumq; faceſſant quæ temerè iactantur in vulgus, quàm quę priuato, licet grauiſſimo, teſtimonio inualeſcunt; ea inquam, ſententia eſt paulò latiùs reprobanda, qua magnetem ad ſui tutelam, atq; perfectionem ferro indigentem ſibi temerè ſuaſerunt, vnius fortaſſe [bb] Alexandri verbis, magnetem ferri ſcobe iuuari ſiue nutriri aſſerentis planè decepti; ita vt hoc eodem errore captus [cc] Claudianus etiam de magnete cecinerit.

Vulgi opiniones ſæpe negotiũ faceſſunt.

bb Alex. 1. lib. problematum in proemio.

cc Claudian. loco ſupra citato.

Ex

Ex ferro meruit vitam, ferrìque rigore
Veſcitur: has dulces epulas, hæc pabula nouit:
Hinc proprias renouat vires: hinc fuſa per artus
Aſpera ſecretum ſeruant alimenta vigorem.
Hoc abſente perit, triſti morientia torpent
Membra fame, venàſque ſitis conſumit apertas.

Magnes non trahit ferrũ, vt ab eo perficiatur.

At ſi rationum expendere momenta, ſenſuùmque adhibere teſtimonia velimus, omnes planè eius ſuaſionis fallaciam confitebimur: vel etenim ferri adiumento magnetis vis, vel ſubſtantia confirmatur. non quidem vis; cum ea tenuibus quibuſdam partibus, nec modò ignis, ſed ſola etiam aeris actione expirantibus, inſita nequeat à ferri craſsitie, quæ nec à vehemente ignis opera extenuatur, aliqua ratione recreari; ita vt nihilominus trahat (ſi experimento credimus) magnes ferro adiunctus, quàm ſeiunctus. nec ètiam ſubſtantia: ſic enim vires pariter deberent huius augmento exurgere. quid? quòd ferri ſcobe ad plures menſes ſepultus magnes, nec tantulum quidem, ſui ponderis adauxit? Sed vt planiùs eadem confirmentur, illud prætera ſtatuamus, omnia, quæ aliena indigent opera, tribus ad hanc indigentiam ſtimulis concitari; vel ſcilicet, vt eorũ perfectione propria perfectio abſoluatur, quo pacto materia formę dicitur indigere; vel vt qualitate aliqua conſeruentur, qua ratione aerem nos ſpiritu ducimus, cęliq; temperatione faciliùs inualeſcimus; vel deniq; ob vſum alimenti, quo perenniter diffluens noſtra ſubſtantia reparatur, & accreſcit. At ferro, quod procul dubio magnete imperfectius eſt, nequid magnes ad propriam perfectionem indigere? præſertim cum hoc in eius abeat materiã, vt fodinarum illa communitas atteſtatur, nec ſe ipſa poſſit materia terminũ ſuæ perfectionis attingere. ferrea deinde

Ferri ſcobe ſepultus magnes nihil ponderis acquiſiuit.

Indigentia quęlibet tres habet cauſſas.

Nullam ob cauſſã ferro indiget magnes.

Ferro perfectior eſt magnes.

Ferro non indiget magnes ratione qualitatis.

qualitate neque indiget magnes ad tutelam: ſic enim vel alterius potiùs magnetis conſortium, cuius maior eſt cum qualitate affinitas exoptaret, vel magis deberent magnetis vires, attracto ferro, inualeſcere: quid? quòd metalla omnia, vt calore genita, ita quodã pariter calore ſeruantur, iſque cum vigeat potiùs in magnete; hinc certiùs aſſeremus, ferrum magnetis viribus foueri, quàm ferro, cuius calor ſanè debilior eſt, magnetem confirmari. Nec ferrum denique magneti ſuppeditat alimentum: ab eis ſiquidẽ, quæ vita fruuntur, victus exigitur, quorum in numero magnetem, lapidẽſque iam cẽſuimus non habendos. Sed & hoc alia pariter confirmant; quippe quæ tanquam alimenta trahuntur, non extimo attrahentium hærent ambitui, ſed penitùs recepta, cæcos penetrant per anfractus, altiſsimè inſeſſura; magnes verò veluti lambens ſolùm ferrum, extrinſecè detinet, nullàq; machina tentat inuehere; vt ex his omnibus iam liberè debeamus, ferrũ à magnete nulla poſſe ratione exigi, aſſeuerare.

Ferrum non affert alimẽtũ magneti.

Ex eodem, quem iam coarguimus, errore alter, vt plerumq; fit, non minùs longè, latèque diffuſus, error emanauit, vt è ſquilla nequeat roſa, quemadmodum fert prouerbium, enaſci: iidem enim credunt ferrum verè, & propriè attrahi à magnete; quod quamuis credibile illi fortaſſe poſſint arbitrari, qui ſenſuum fidem ſinè rationibus exquirentes, nihil præter ſenſuum fallacias ſapere contendunt; qui tamen ſenſum credunt rationibus obſequentem, harùmq; firmamentis innixã eius certitudinem ſtabiliri, illud omninò cenſebunt incredibile: propria etenim attrahendi vis, vni animæ conceſſa, debet ab omnibus aliis ablegari. quid? quòd etiamſi animæ vim magneti concederemus, neque tamen poſſet ea vis, vel neceſſario tali vſa impulſu,

Roſa nũquã è ſquilla naſcitur.

Ferrũ nõ attrahitur propriè à magnete.

ſu,ferrum attrahere? nulla etenim animæ vis ea, quæ extra proprij corporis limites ſunt, vt ſupra etiam notauimus, attingit. Sed quamuis ad inanima propriè attrahendi facultas pertineret,quis tamen eam crederet magneti conceſſam,in quo nec probabilem attrahendi modum poſſumus comminiſci?natura verò cum ne animatis quidem, quę omni ſemper ratione cœteris præſtant,attrahēdi vim ſinè certo operationis modo accomodauerit, quì poterat eandem eo modo deſtitutam alijs concedere? eſſet profectò ac ſi plumas auibus conceſſiſſet, modum, quo illæ ad volatum adhibeantur, denegaſſet; idèmque fere eſſet operandi modum à facultatibus,ac ex anno,vt inquiunt, ver, è vere flores, è floribus odorem tollere. quare optimo quidem iure,natura inquit [dd] Ariſtoteles, ad officium accomodat inſtrumenta. denique ſi propriè ferrum magnes attraheret,tunc vt ea vis ferrum poſſet per interiectum aerem attingere, deberet quodammodo è magnete egreſſa, ſeſe ad ferrum vſque porrigere; indè verò, vt ferrum ad magnetem attraheret, ad eundem deberet, qui eius atttactionis terminus eſt, magnetem ſe ſe referre; eàque ratione nulla locorum, vel conſimili id efflagitante neceſſitate, vnum idèmq; contrarijs ſe ſe agens motionibus, ire, ac redire vias, aduerſis etiam terminis perluſtratis, neſcio qua naturæ lege feremus. Sed longiùs in alienis coarguendis erroribus non errandum.

dd Ariſt. 4. de partibus anim. c. 12.

De

De magnete ferrum attrahente propria Auctoris opinio.

EXERCITATIO XIX.

SI acerrimum illud ad homines ditandos excogitatum conſilium pari emolumento poſſet ad eoſdem ſapientię opibus cumulandos adhiberi; iam omnes, & facili quidem negotio, poſſemus diuites pariter, ac ſapientes euadere: quippe ſalutare [a] Platonis conſilium eſt, homines non diuitiarum affluentia, ſed illarum potiùs repreſſa libidine diteſcere: vt meritò pauper non ille [*] cenſeatur, qui nihil poſſidet, ſed qui multa appetit, & diues non qui multis rebus affluit, ſed qui non multis eget: etenim [b] quemadmodum Craſſum perpetuò diuitias, nullo poſito ſuę libidinis modo, cumulantem, totiq; Perſarum auro inhiantem, non iniuria egentem, ac pauperem diceremus; ita quis [c] Diogenem illum ſumma animi placiditate, pro molli ſtrato pallium, pro equo baculum, pro penaria cella peram, pro palatio dolium eligentem, omniùmq; dominatore [d] Alexandro vniuerſa offerente, Solis aſpectu contentum, omnium ditiſſimum non cenſeret? ſed quantùm in hoc diuitiarum genere fixum, tantùm videtur idem conſilium in verę ſapientiæ opibus labare: quippè non eò magis ſapimus, quò magis ſapiendi reprimimus appetitum; quin etiam, cum ſapientes primo [e] Pythagorę vocabulo ex ſapientię amore dicantur, eò vberiùs ſapiemus, quò effręnatiore ſapiendi libidine concitabimur: quis enim tanta ſapiendi libidine concitatus, vel difficillimas non audebit, ad veritatē indagandam, ſemi-

a Plato ex Lucio Apul. de dogmat. Plat. lib. 3.

* Suida ſub Col. 1141. in verbo τορνία.

b Pli. lib. 33. c. 10. & Plutarc. in vita Craſsi.

c Ex Iaert. in vita Diogenis Cinici lib. 6.

d Plutarc. in vita Alex. & Valer. Max. lib. 4. cap. 3.

e Ex Iaert. in vita Pythag. lib. 8.

Vt facillimè homines diteſcant ſalutare cõſiliũ.

Craſſus maximè egenus

Diogenes omniũ ditiſſimus.

Eò magis ſapimus, quò ardētiùs ſapere concupiſcimus.

ſemitas perueſtigare, adire? intueamini in me ipſo huius hodie exemplar Academici, qui quamuis in attrahentis magneris cauſſa enarranda duriſſimam me nouerim prouinciam ſuſcepiſſe, quamuis plures difficultatum Meandros, varijsque anfractibus inextricabilem labyrinthum me adire præſciuerim; illa tamen auiditate percitus audacter ſuſcepi, iàmq; adeo: nullum enim timidi vnquam ſtatuère tropheum.

Vt autem plura ſimul difficultatis momenta obſeruantes, omnia pariter ſuperemus, plures etiam argumentorum ſemitas attentabimus, omnia rationũ pondera exquiremus; quod eò poterimus aſſequi expeditiùs, quò viarum ardua videntur iam aliarum opinionum vepribus extricata; nec noſtrum ampliùs iter prępedient efficta aliorum arbitrio animę, non volitantes atomi, non inanis timor inanitatis, non fallaces ſimilitudines, non tacitæ contentiones, non deniq; vulgariũ illa cõmenta, quibus magnetis indigentia ferrum propriè attrahi crediderunt. Sed quãdo his omnibus liberos eſſe licet; illud primò rei veritatem contemplantes expendere oportebit; tenue quoddam inſiti caloris impetu actum è magnete expirare, proxima quæque, donec euaneſcat, peruaſurum. quod non modò magnes ipſe longa tãdem expiratione tabeſcens, ac emoriẽs poterit atteſtari, ita vt tenui illo diſſipato, nec ferrum ampliùs valeat cõmouere; ſed ipſum pariter ferrum, quod certa ſolum diſtantia magneti oppoſitum cietur, remotiore poſitione immobile: quippe vt proximè accedens expirantem halitum protinus concipit, ita dum longiùs recedit, illum nequit per interiecta ſpatia fuſum excipere: quid? quod [f] ignitis carbonibus obrutus magnes ſulphureum quid exhalans, extremum quaſi halitum efflarit, ſuis deinceps viribus deſti-

Tenues è magnete vapóres cõtinuò expirant.

Cur certa tãtùm diſtãtia ferrum à magnete trahatur.

Ignitis carbonibꝰ obrutus magnes er rũ deinde nõ attrahit.

[f] Ex Io. Baptiſta Porta lib. 7. Magiæ natur. c. 51.

deſtituitur, nec ferrum deinde poteſt allicere? eandem deniq; magnetis expirationem omninò tenuem eſſe, tum quia ſenſum ipſa fugit ſenſus poterit edocere, tum ratio etiã confirmare: [g] ligna.n. lapides, metalla, in vno dumtaxat ferro, prę nimia duritate hęſitans, peruadit.

g Ex eodem cap. 38.

Sed dum anguſtiſſimã tenere mihi videor ſemitam argumenti, nouis difficultatum ſpinis intercludor, alia in dumeta compellor, quę niſi euellantur, rei cognitio obſtruetur, nos etiã acutiſſimis ſpinis obſiti hęrebimus. ecquis obſecro vos, ſe ſpinis obſitum non crederet, ſi elementis, quæ ad vnam miſtorum procreationẽ natura genuit, certas ſedes conceſſas, propriàq; habitandi loca circumſcripta affirmaret; miſta verò feliciores naturæ ſoboles, vndiq; peragrantia, ſempèrq; peregrina, nullis prędita laribus, nullis proprijs hęrere ſedibus arbitraretur? equidem ſi tanto in errore verſarer, non ſpinis tãtùm, ſed ſęuiſſimis etiã rerum ſpiculis me crederem obſeſſum: vt enim pretereã, [h] auctorum ferè omnium conſenſu, locum vnicuiq; corpori propriè eſſe à natura deſtinatum; primus homo non ſolùm ciuitates obijceret ſibi [i] natura duce paratas; ſed etiã parentem regionem patrię nomine inſignitam, qua nihil poteſt ad oblectationẽ habere iucundius, nihil ad ſanitatis tutelã præſtãtius, ad corpus confirmandũ opportunius, ad omnia, quibus natura pollet, accomodatius; cuius tanta, quemadmodum inquit [k] Cicero, eſt vis, tanta natura, vt Ithacam illam in aſperrimis ſaxulis, tanquam nidum, affixam ſapientiſſimus vir immortalitati anteponeret; & quantùm ipſe crediderim, niſi naturę impetum ratio retardaret, ad patriam hoſpites homines, non ſecus ac ad propriã ſedem ignis, accurrerent. brutorum deinde ſuam inſtrueret aciem vniuerſitas, quorum alia aeris ſuſtinet tenuitas, alia fouet rigor

Nõ elemẽta ſolùm, ſed omnia etiã miſta ꝓpriũ, atq; naturalem locũ habere debent.

h Ariſt. 4. phyſ. tex. 48. Procluſ. in Alcibiadem primum. i Ariſt. lib. 1. Polit. cap. 2.

Naturalis locus hominis patria eſt.

Patrię vis.

k Cic. lib. 1. de Oratore.

Bruta etiam naturalẽ ſedẽ agnoſcũt.

gor

gor aquarum, latebroſis terrę anfractibus alia ſpirant; hęc domeſtici ſeruant lares, illa ſyluarum abdita tuentur; non paucorum domicilium India, plurium Aegyptus, & omnia tandem certis tantùm ſedibus contenta, prouidentis naturę vſa beneficio inualeſcunt. Stirpiũ ad hæc, agmina irruerent, quarum * aliæ in conuallibus, allæ vigent in montibus, hę propter flumina, illæ in lapidum rigore vireſcunt, & vt inquit, [l] Virgilius.

Stirpibus naturaliter determinata ſunt loca.

*Vide Theophraſt. 4. de hiſtor. plantar. circà pricipium.

l Virgil. 2. Georgicor.

Fluminibus ſalices, craſsiſq; paludibus Alni
Naſcuntur, ſteriles ſaxoſis montibus Orni;
Littora Myrtetis lætiſſima; denique apertos
Bacchus amat colles, Aquilonem, & frigora Taxi.

Tantùmq; certa locorum ratio ſtirpibus cõmoda, vt ſuauiſſimos hìc fructus ferant, quæ alibi venenatos ediderãt, quemadmodũ de [m] Perſica referunt; [n] ſponte hìc germinent, nulla quæ poſſunt arte alibi enaſci; [o] hìc omninò ſteriles, ibi fertiles, [p] ſemper frondibus obſitæ, nullaq; etiam cultura fructuoſæ. Nec alia ratione Ficus Oliuæ, Oliua Myrto fœcũdiùs adhęrent, niſi quia hac vicinitate proprij loci gratia recreatur; ita vt ex eis proximis euulſæ, ni radicibus, tanquam compedibus, hęrentes, ni grauitate, tanquam vinculis, conſtrictę, vltrò ad propria ea loca feſtinarent; quin etiam his nec præpedita carceribus [q] Palma in conſortẽ marem prona nutat, illìq; blandiores ramorũ manus porrigens, veluti amplexura, cõnectitur. En deniq; omniũ corporũ vniuerſitas, vt certis ſedibus enata feliciùs, ita in eiſdem aptiùs aſſeruata. ſic gẽmarum, metallorumq; genera certis in locis nobiliora, * medicamentorũ vires maiore alibi efficacitate celebres; omniũ maior in propria ſede præſtãtia. Sed quid tantã rerũ molẽ exagito, vbi vnus naturę ordo vt ẽ planè poterit enarrare? adeò admirabilis eſt rerũ ſeries, atq; contextus, tanta in om-

Locorũ varietas quãtã in ſtirpibus varietatẽ afferat.

Plantæ quędã cur quibuſdam fœcundiùs adhæreant.

Mineralibus etiã certa loca conceſſa ſunt.

Iuxtà naturæ ordinem oibus ppria loca debẽtur

m Gal. 2. de ſem. cap. 1.

n Hipp. 4. de morbis.

o Plin. lib. 16 cap. 26.

p Plin. ibidẽ cap. 21.

q Plin. lib. 13 c. 4. & Ammianus Marcell. l. b. 24.

*Vide Theophraſt. 9. de hiſtor. plãt.

Digitized by Google

nibus diſponēdis naturę ſolicitudo, atq; ſolertia, vt aliquid peregrè diuagari, nec propria, naturaliq; ſede cōſtitutū credere demētiſſima ſit temeritas; cū non modò rebus ipſis fatentibus, ſed naturæ etiā ordine ſuadēte.

r Horat. de arte Poet.

r *Singula quæq; locum teneant ſortita decenter.*

Naturalis verò hęc rerū ſeries, atq; ſedes nō ea perpetuò credenda eſt, ad quā grauitatis, vel leuitatis impetu res ipſę cientur: ſic enim animantia vniuerſa, metalla omnia, hiſq; cętera conſimilia vnicam terrā deberent, tanquā propriā ſedem, nulla locorū varietate dignoſcere, iàmq; Perſica nō minùs noſtrate, quàm aliena tellure ſalutaris: ad vtrâq; enim propria pariter grauitate defertur. Sed cum quædā hac in tellure, quędā in illa feliciùs vigeant, pactòq; quodā fędere exultent; hinc loca non leuitate ſemper, vel grauitate, ſed naturę conuenientia deſignari omnibus affirmādum: ſicut enim grauitas, & leuitas elementorum, quibus miſtū conflatur, ſoboles creduntur, ita elementorum motus, ſedèſq; poterunt perficere, veſtigare; ſ forma autem miſti, quæ quāuis elementorum coitu genita, ab elementorum tamen viribus, vtpote ſubſtantia, longè ſeiungitur, debet pariter ab eorundē locis, motibùſq; ſegregari, & vt quibuſdā meliùs ſedibus aſſeruatur, ita inſita quadā vi, propriòq; motu debet ad illas, niſi quid obſtiterit, inclinare; vel vt rē clariùs finiamus, princeps illa rerū pars, quę philoſophis forma dicitur, quacunq; circumſcripta grauitate, vel leuitate adhùc ſe ipſa natura eſt, ac debet proinde hoc dūtaxat nomine aliquod ſe ſe mouendi principium, propriàmq; vim obtinere; ni tamē velimus eā, t quę vel maximè natura eſt, per leuitatem, vel grauitatē naturā credere, vel has qualitates forma pręſtantiores naturas arbitrari. At quando motus hic formę conceditur, non niſi ad propriū locū

Non ille miſtorum naturalis locus eſt, ad quem grauitas, vel leuitas inclinat.

ſ Lege S. Th. in 2. phyſic. lect. 1. tex. 1. & in 2. de aīa lect. 23. tex. 115.

Subſtantialis rerū forma per ſe, & citrā leuitatē, vel grauitatem, propriū locum habere debet.

t Ariſt. 5. metaph. tex. 5.

poterit,

Digitized by Google

poterit, tanquam ad arcem naturę munitam præſidijs inclinare. porrò eundem, quem ea natura locum anhelat, elementorum quandoq; exigunt facultates, & tunc ſponte ſua, properans, nouis ſtimulis excitata, motum quàmuelociſſimè concitat, nullàq; contentione, vt in ipſis etiam elementis [u] alibi enarrauimus, locum obtinet. plerumq; verò elementorum vires ei oppoſitum, atq; aduerſum, cui forma inhiat, locum exoptant, & tunc, quando vniuerſa in eis reſidet agendi poteſtas, eius naturę impetu repreſſo, illarum motus abſoluuntur; vel ſi efficacius ſit formę imperium, eis oppreſſis elementorum viribus, quò ipſa contendit, motus pariter obſecundat: vt quemadmodum eadem forma qualitates, quibus plerumq; orbata eſt, ſibimet, nullius qualitatis miniſterio, reſtituit; ita & deperditas tũc ſedes, nullo aliorum ſubſidio, ſibi valeat reparare: neq; enim minus eſt qualitatem ſine qualitate producere, quàm motum ſine grauitate, vel leuitate perficere. Hæc ipſa omnium certiſſimè animantia, [x] quibus clariùs eſſe conceditur, atteſtantur: ita enim quæ animæ viribus, pręter cœtera excellunt, quãuis membrorum mole oppreſſa, ſe ſe ſuſtinent, locòſq; in varios, elemẽtorum etiam, quibus compacta ſunt, viribus aduerſos, motu cientur interiore, & ſuo; plantæ verò ita à ſe ſe mouentis animæ viribus alienæ; vt hac parte poſſes inanimas appellare; ad eam tamen, quam veluti ſedem natura conceſſit, ſponte ſua inclinant, ſe ſe porrigunt, nutantèſq;, vt de palma dicebamus, inflectunt. idem quoq; licet obſcuriùs, in inanimatis credere aliorũ monet exẽplum, rationis vrget auctoritas: neq; enim minùs natura iſtorum forma eſt, vel minùs ſe ſe tuendi auida; etſi, quia tenuioris ordinis, minùſq; in ſuis abſoluendis muneribus vehemens, facillimè, nullòq; nego-

Elementorũ qualitates ſæpe locum poſcunt, ei oppoſitum, quē ſubſtantialis forma miſti exigeret.

Anima corpus mouet contra impetum elementorum.

Eorum, quæ inanima sũt, ſubſtantialis forma, aliquãdo debet ſe cõtra elemẽtorũ impetum mouere.

[u] Exercit. 5.

[x] Ariſt. 2. de cęlo tex. 100

tio ab aduerſis elementorũ viribus opprimatur; ita vt vniuersè huius generis corpora ad ingeniti elementi nutum, motùmque, vel inſitę naturę impetu aliò inclinante, videas cómoueri; dum verò ſuis, ſiue alienis viribus ipſa eadem inualeſcens, non repugnare tantùm poteſt elemẽtis; ſed eorum etiã repreſſo impetu ſuopte ſe nutu conuertere, tunc eò feſtinat, quò ſibi præſidium, naturę perfectio cóparetur. Nec proinde debes, pręter elementorum impetum ſe ſe mouentem naturã, vel animã, vel ab animantium more non alienã, quippe quæ ſe pluribus motibus cieat, iudicare: etenim tum plura alia ſunt, tum illud pręſertim eius differentię argumentum; ſiquidem animantia non vno dumtaxat motu, pręter elementorum operam, feruntur; ſed pluribus, vel potiùs omnibus, nullòq; prorſus termino circumſcriptis; ea verò natura, de qua verba facimus, vnico tantùm motu, ſedèmq; ad propriã cietur, eo, quem elementa moliuntur, ſibi extraneo, & quemadmodum nihil ad ſui commodùm, ita nec ad propriam rationem, vel tantulùm pertinente.

Sed vt illùc, vnde deflexit, reuertatur oratio; cũ ferri forma locum debeat naturę beneficio obtinere; quẽ obſecro vos, pręter magnetẽ, illi conceſſum poſſumus arbitrari? nullum profectò: ita enim fodinarum illa cómunitas probat, vt nunquam ea, quę omnia maximo momẽto, ſummòq; iudicio diſpenſat, ferrum è magnete ſeiunxerit. Idẽ maior magnetis perfectio, cuius fieri poteſt ferrum vel adhęſione particeps, vel cótactu vehementius, atteſtantur, vt in magnetis materiã ferrum aliquando viſum ſit longo tẽporis vſu conuerſum. At quãuis ferrum contendere, tanquã ad propriũ locum, debeat ad magnetẽ; ipſius tamen moles, vel potius inſita elementorũ grauitas repugnat, inclinantis impetũ frangit,

Quem locũ ferro natura conceſſerit.

Ferrum conuertitur ad magnetem.

Vt ſe ſe ferrum moueat ad magnetẽ, propria auctoris opinio.

frangit, & in quas elementa ipſa feſtinarent ſedes impellit; cum verò eadẽ ferri forma, tãto ſe ſola impulſui diſpar, inſtantis magnetis viribus recreatur, cũ illi propior, tenuis eius auræ ſpiritu inualeſcit, cũ indè inquã, expirãtis halitus concipit adiumentũ, continuò ſe ipſa acrior, elemẽtorũ viribus obſiſtit, refutat conatũ, cohibet motiones, confringit imperia, ſuòq; ſe nutu cõuertens aduolat ad magnetẽ, propriæ ſedis beneficiũ exactura. atq; ſic vnius loci iure ſe ſe ferrũ cõmouet ad magnetẽ. Contra verò vbi ferri nimia moles cõceptas magnetis vires exuperat, tunc elementorũ cõditionibus, quę magis in maiore corpore repugnãt, adhùc inuictis; nequit ferrũ optatã ſedem, vel inſtante magnete obtinere. Hanc loci rationem fortaſſe [y] Plato verborũ illis ambagibus intellexit; dum eadẽ inquit, ratio eſt de aquarũ fluxibus, de fulminũ impetu, de Electri mirabili illo attractu, lapidiſue illius, qui Heraclius nominatur; hanc verò rationem veluti innuens, re vera inquit, nullius horũ attractio fit, ſed cum nuſquã ſit vacuũ, & hęc ſe inuicẽ pulſent, atq; repulſent, concretaq;, & diſcreta ſuum locũ ſingula poſcant, diligenti harum rerũ inueſtigatori ex his mutuis paſſionibus euentus illi mirabiles contingere videbuntur. Hęc Plato, quæ ſi velimus, vt par eſt, acriùs limare, nullã, pręter expoſitã loci vim, poterunt edocere. eandẽq; loci vim & in magnete approbans [z] Porphirius, magnes inquit, lapis quaſi quãdam animam (hanc nos expirationem ſupra appellauimus) trahit ferro, ſibi aliquãdo propinquanti, vndè ferrum natura grauiſſimũ, euadit leue, eleuaturq; ſpiritu magnetis ſe conferens ad magnetẽ. quibus Porphirij verbis apertè vides noſtrã ſententiam adumbrari. Sed auctorũ poſthabito patrocinio enumerãda potiùs ſunt quę ex noſtro hoc ſenſu cõmoda conſequantur; quid

Platonis ſentẽtia noſtræ opinioni accomodatur.

y Plato in Timeo.

Porphirij ſentẽtia nobis arridet.

z Porphir. lib. 4. de abſtinentia. in fine.

verò

verò cõmodius cẽſeri vnquã poterit, quàm per arduã, perobſcurã, ſummiſq; difficultatibus inuolutã quęſtionẽ ad vulgaris, populariſq; difficultatis ſenſum accomodare, & iuxtà ea, quæ de loco peruulgata ſunt apud philoſophos expedire? quis enim eſt, quin loci vim inter naturalia calleat, quem naturæ impetus fugiant, cui rerum illà ſeries, qua omnes inter ſe aptè cohęrent, nõ tantulùm innotuerit? Alterum ex eodẽ ſenſu cõmodũ eſt perpetua illa veritatis ſoboles, intelligentię firmamentum, omniũ ſententiarũ lapis Lydius; lux inquam, qua difficillima queq; veritati tenebras offundẽtia, illuſtrãtur, quàmplaniſſimè explicantur; quid autem obſcurius, ac difficilius in hoc genere eo eſt, cuius ſolidã, veràmq; ne vnus quidẽ aſſequi potuit rationẽ? Cur ſcilicet magnetẽ non magnes alliciat, ferrũ nõ moueatur ad ferrũ, quorũ vicinitate meliùs ſeruarẽtur? qua in re quàm abſurda cõminiſcantur alij, & à veritate penitùs aliena nos pariter enarrauimus: etenim ſi ſimplex, & vtcũq; rei tutela his motionibus exigeretur, iam planè ad ea, quę eadẽ ſunt, non tantùm ſimilia deberent omnia inclinare; at quoniã noſtri ſenſus captu hæc ad illa, tanquã ad propria loca feruntur, vnòq; loci iure tutelã expoſcunt, nec poſſunt loca, ne rerũ, ac rationũ diuerſitas confundatur, ſuis omninò eadẽ locatis eſſe, ſed neceſſariò diuerſa; hinc iure non ferrum ad ferrum, ſed ad magnetem, & ſimilia potiùs ad ſimilia feruntur, vt cum loca ſibi eadẽ eſſe non poſſint, quę ſaltẽ proxima ſunt, nempe ſimilia pro locis obtineant, qua ratione ſimilitudinẽ vbiq; videbis inter locatũ locùmq; intercedere, & vt inquit [22] Ariſt. in ſuum locum ferri, ad ſimile ferri eſt. adeò facilè poteſt veritas etiam perardua expedire, omniùmque vbi ipſa loquitur ſilentium continere.

Margin notes: Loci vis omnibus cognita. — Cur magnes non ad magnetem, nec ferrum moueatur ad ferrum, nullus hactenus explicauit. — Exercit. 4. — Loca nõ ſũt locatis eadẽ, ſed ſimilia. — 22 Ariſt. 4. lib. de cœlo tex. 23.

Quid

Quid magnetem ad polos, paleas ad ſuccinum conuertat.

EXERCITATIO XX.

Veritatis vis

TAnta ſemper extitit, adeòq; vehemens veritatis vis, atq; poteſtas, vt nihil tā arduum, quod facilè non exuperet, nihil adeò feruidum, quod leui conatu nō opprimat, nihil deniq; adeò magnum, atq; difficile, quod tenui opera non aſſequatur. ecquid obſecro vos, humana auiditate feruidius, quid immanius, quę non cedit obſequijs, nō terretur difficultatibus, omniq; conatu inſuperabilis, nec cęli hoc ambitu, nec rerum omniū eſt immenſitate contenta? & tamen unius ueritatis exhauritur aſpectu, ſola illius cognitione expletur. quid humana intelligētia cōcitatius, quę propè infinita à sēſibus miniſtrata phātaſmata momēto percurrens, rerū intima peruagatur, uniuersū hoc leuiſſimo obtutu prętervolat, ampliſſima cęli ſpatia ſuperat, audètq; sūmi omniū opificis ignotiſſima perſcrutari? & hanc tamē unica ueritas cohibet, eàq; cōcitatione repreſſa quàm facillimè ſiſtit. quid pluribus, quid acrioribus attrahentiū uniuerſitate dubitationibus inuolutū? & tamen, grauiſſimis plerūq; auctoribus neglectis, ſolius ad ueritatis lumen reſpicientes, ampliſſimā uidemur rerū molē, quantùm licuit, abſoluiſſe. ò sūma veritatis poteſtas, quę vix te intuentiū ſenſus recreas, confirmas ingenia, rerū per lubrica regis, tutaris in arduis, omniq; ſecuritate euehis ad ſuprema. Vultis & vos Academici, tantam veritatis vim, sūmùmq; imperiū experiri? reputate mecū quæſo eā vnā veritatem, ſuperiore conſeſſu expoſitā, qua oīa dicebamus, etſi inanima, ad loca ſibi familiaria, propriáſq;

Humana auiditas etſi immanis, ſola tamē veritate expletur.

Intellectus etſi concitatiſſimus, veritate cohibetur.

priáſq; ſedes,ſuopte nutu,niſi præpediantur, inclinare deferri;& hanc vnã intuentes,vel difficillima de attractione argumenta , in quibus enarrãdis vos fortaſſe aliàs hęſitaſtis,quàmfacillimè videbitis expediri.Quid? nõne veriſſimũ eſt,vt ferrũ diximus ad magnetẽ,ita magnetẽ ad polos,naturę quodã imperio cõuerti?ita q̃dẽ: nec .n. vlla res vehemẽtiùs veritatẽ, pręter experiẽtiæ fidẽ,poterit atteſtari ; magnetis verò ſe ſe ad polos cõuertẽtis impetũ illi in dies experiuntur,qui Oceani vaſtitatẽ nauibus tentantes,vbi hinc aquarũ mõtibus circũ ſepti, imminẽtibus indè nubibus obruti;terrarũ pariter,atq; ſyderũ orbati aſpectu,nec vbi cõtrahere,vel quorſũ dare vela expediat,ſublata locorũ notitia aſſequuntur,& quaſi patens vndiq; viarũ aditus curſũ pręcluderet,nequeũt quò nauẽ certò appellãt, nec dubiè quidẽ diſcernere;tunc ea magnetis cõuerſione diſtingunt polos,metiũtur cęlũ,agnoſcũt loca,ſeligunt uiã, unàq; magnetis opera,tot imminẽtibus erroribus,atq; horroribus liberãtur. Sed q̃n hæc ueriſſima ſunt,nõne perarduũ oĩbus uiſum eſt,rationẽ,qua ad polos eo nauigantiũ cõmodo,ſe ſe magnes cõuertat enarrare? hãc tñ,& faciliter uos ipſi,q̃n ſemel eã ueritatẽ intueamini, poteritis edocere : quippe cũ debeat magnes ad illud loci, ſibi proprium, naturàque conceſsum properare, cùmque pares ad illùc ſe ſe ferendum uires,ob diſtantiam non ſuppetant,eò ſaltem ſe conuertit ; ut quãuis locũ attingere nequeat,attentare non pigeat,uel quãuis obtinere non ualeat,anhelare non deſinat.

Experientia prę oĩbus atteſtatur veritatem.

Magnetis ad polos cõuerſio vt nauigantibus vtilis.

Cur magnes ſe ſe conuertat ad polos

Inducant nunc [a] alij uaſtos illos magnetis montes, ut nulla cõfirmatos hiſtoria,ſic temerè,ſolàq; difficultatis neceſſitate confictos.Excitent cęleſtem [b] alij Vrſã,uel omnia,quæ ſub eis polis ſydera intuemur,quaſi nihil ad tantam rem celandam cœlo aptius cogitarint.

Non ob magnetis montes ſe cõuertit magnes ad polos.

Magnes non conuertitur à ſyderibus.

a Fracaſt.lib. de ſympat. & antipat. cap.7.

b Cardanus de ſubtilit. lib.7.

Reno-

Magnes non mouetur à cœlorũ vertigine.

Renouent deniq; [c] alij celerẽ illã totius cœli, omnia cõmouentem, uertiginẽ, qua etiã agitatus magnes aptam ſuę quietis eligit poſitionẽ, quaſi plurima etiã magnete leuiora hìc non quieſcãt, nullius cęli rapta uertigine, non cõmota uolumine. Inducãtur inquã, hęc oĩa, & noſtra cũ ratione acerrimè conferãtur, ut poſſitis ſimul eius ſoliditatẽ ex aliorũ quoq; cõmentis dimetiri. Sed quę collatio eorũ, quę temerè cõfinguntur ad certiora naturę? quid ſimilitudinis cũ eis, quę celant, illis quę rei rationẽm aperiunt? quid cõmune habet euidẽtia cũ effugio? ut vos etiã neceſſariò imperiũ veritatis experti, ſummam eius vim fateri liberè debeatis; cũ ad veritatem ſolùm reſpicientes, tantę difficultatis vires eneruatas intueamini, & planè confractas.

[c] Quidam quos refert Fracaſt. loco citato.

Succinũ cur appelletur karabe.

Sed non ſolum hoc ex ea veritate cõparatur emolumenti, non hic tantùm difficultatis nodus abſoluitur; quin etiam alter ille, qui acerrima non minùs ingenia fatigauit, ac diutiſſimè torſit; quamobrem ſcilicet paleas ſuccinum alliciat, vt apud [d] Perſas hoc præſertim nomine Karabe, quaſi rapiens paleas, appelletur.

[d] Auic. lib. 2. tract. 2. c. 371

Cur ſuccinũ trahat paleas Fracaſtorij opinio.

Improbatur Fracaſtorius

Non trahit ſuccinũ paleas ratione ſimilitudinis

Qua in re celebrẽ illã, nec ſemel iactatã ſimilitudinis vim adhibẽs [e] Fracaſtorius, neſcio quid affinitatis, cuius ne tantulũ quidẽ ipſe expoſuit, inter ſuccinũ, atq; paleas cõminiſcitur, eiuſq; credit imperio illud ad attrahendũ paleas concitari. Nos verò, etſi grauiſſimo quidẽ viro eã, nec rationũ auctoritate, nec ſenſuũ teſtimonio comprobatã ſimilitudinẽ concedamus, ſẽper tñ modũ, quo per ſimilitudinẽ hæc ſe ſe inanima alliciãt, exigemus: neq; enim aliquando vim ſinè modo, vel modũ à ſenſibus alienum potuimus in eis, quę natura duce ſua opera moliuntur, approbare. quo etiã iure dũ idẽ prætereà auctor, non ſuccino paleas, ſed aerẽ illis incluſum propriè attrahi ratus eſt, à nobis pariter improbatur:

[e] Fracaſt. loco citato.

Non trahit ſuccinũ aerẽ intrà paleas incluſum.

Digitized by Google

neq; enim vim,neq; modũ,quo ſuccinũ poſſit aerẽ allicere,explicauit;vel ſi ea illi eſt in aerem poteſtas, cur illud aeris, quod extrà paleas liberè fertur, nec poteſt non perenniter ſuppetere, non contendit allicere.

[f] Cardanus quãuis hac eadẽ in cauſſa minùs fortaſſe à ſenſibus aliena philoſophatus,humidũ quoddã pingue è ſuccino emitti aſſerat,* quod oppoſita ſicca ebibere fortaſſe cupientia, ad eius fontẽ, nempe ſuccinũ, veluti ſiti percita,cõmoueãtur; idq; rationis eſſe cẽſeat, quamobrẽ paleas oleo linitas nequeat ſuccinũ attrahere; quaſi vel olei madore ingenita ſitis extinguatur, vel eiuſdẽ olei aſpectu pingue illud,expirans è ſuccino coerceatur;vt tamen ea parte,qua expirationẽ illã humidã,è ſuccino emiſſam cõminiſcitur,paleàſq; expirãte eo halitu concepto,ſe ſe ad ſuccinũ ferre,veriſſimã fert ſententiã, ita pinguis illius humidi ſitim,in paleis cõfictã,non poſſum nõ cenſere figmentũ: omnia enim,quę naturæ ambitu continentur; vt ſibi affinia exigunt ad tutelã, ita perpetuò ſibi contraria auerſantur, inſitòq; quodã naturę impetu debent ſicca humiditatẽ omnẽ à ſeipſis auertere potiùs,quã ad illã accurrere. prӕterquã quòd ad alia pingui humiditate,non ſecus,ac ſuccinũ, pollentia,eòq; nomine ſitim illã pariter reſtinctura,paleę non mouentur, nec hauſto illorũ humido ſitim cupiunt exhaurire. Has autẽ oẽs argumentorũ ambages, rationũmq; tricas, vel leuiter nos ad expoſitã eã veritatẽ reſpicientes, expedimus,abſoluimus: quippe propria,naturęq; beneficio conceſſa paleis,reliquiſq; conſimilibus ſedes in ſuccino eſt;quare,quãuis ſẽper ad illud eiuſdẽ naturæ impetu inclinent,ab aduerſis tamen elementorũ facultatibus,quibus etiã paleæ quadã neceſſitate ſubijciuntur,repreſſę,non niſi cõcepta ea ſuccini expiratione,qua elementorũ vires cohibẽt,ad ſuccinum,

f Cardanus de ſubtilit. lib. 5.

* Vide Scaligerũ exercit. 104. nu. 12.

Opinio Cardani.

Cardani ſententia improbabilis.

Non mouẽtur ad ſuccinũ paleæ ob humiditatẽ, quam appetunt.

Cur paleæ moueantur ad ſuccinũ auctoris opinio.

cinum, ſedemq; propriā deferūtur; qua ratione vbi per leuem attritū concepto calore, ſuccinū vberiores halitus emittit, tūnc paleę promptiùs ad illud, inualeſcentibus veluti alis, aduolāt; cū verò eędem linitę oleo nequeunt ad ſuccinū, teſte etiā g Plutarcho, deferri, cauſſam in eadē expiratione, quæ palearū intima peruadere olei tenacitate prohibetur, aſſeuerare oportet.

Oleo linitæ paleæ cur ad ſuccinum nō moueantur.

g Plutarc. in problemat. ſympoſ. decade 2. problemate 7.

Non pauca hic video poſſe mihi ab argutulis obiectari, quę tamen, cum planè vulgaria ſint, nihilq; generoſum, atq; magnificum ſapiant, vel cū ex eiſdē, quę inſinuamus, principijs explicētur, nec vobis in eis audiēdis, nec mihi in enarrandis negotiū faceſſere debent; quo etiam nomine huius generis plurima, ne in his tricis faſtidioſiùs moraremur, prętermiſimus; duo verò in hac re ſunt, quę, vt poſſunt vulgarium animos à veritate abalienare, ita, ne nobis iſti toties contēpti ſuccenſeant, poterimus, ſi tantum dabitis licentiæ, expedire.

Accedatis itaq; vos, qui verbis obruitis potiùs veritatē, quàm tuemini. quid? nonne priùs exigitis, quanobrem loci illo beneficio, non magneti dumtaxat, nec ſolis paleis, ſed reliquis omnibus à natura cōceſſo, omnia tñ non vtātur; cum vix paucula quędā ſint, quę ad propriā ſedē naturę impetus dirigāt, atq; cōportet? Sed ſi oīa vnus ego noſſē, quibus hęc rerū immenſitas cōtinetur, & ſingula ſingulis collata penitùs expendiſſē, iā facilè, & vobis poſſem omniūm impetus deſignare, & quò quęq; inclinent, proprijs deſcriptis ſedibus, referre. naturalia omnia non poſſe ab homine cognoſci teſtatur, qui omnia nouit h S.Th. tribuit quidem vniuerſis omniū æqua parens natura certos locorū limites ad tutelam, hos tamen rerū ipſa confuſio euertit, aliorum neceſſitas cōturbauit, ita vt eorū tantùm, quę ſenſu percipimus, rationē exponere debeamus, in alijs

Cur ſi omnia proprī locū habent, non tamen omnia ad illum conuertantur.

h S. Tho in primum meteor. lect. 1.

Cc 2 nulla

Digitized by Google

i Aulus Gell. lib. 12. noct. Attic. c. 12.

nulla mentis incitatione diuinaturi. forſan [i] tempus, veritatis, vt inquiunt, parens alia reuelabit, quibus hęc omnia comprobentur; quemadmodum & ipſius tẽporis progreſſu magnetis illa ad polos conuerſio, prioribus ignota gentibus, poſt longum ſęculorum ambitũ, in lucem emerſit. Veniet, inquit [k] Seneca, tempus, quo poſteriores noſtri tam aperta nos neſciſſe mirentur.

Tẽpus veritatis parẽs.

k Seneca 7. natur. quęſt. cap. 25.

An deinde queritis, cur vniuerſa, quę attrahuntur, noſtriſq; his exercitationibus tã variè enarrauimus, nequeât hac vna loci ratione explicari, vt omnia pariter hac loci lege impulſa, ad certa quędã corpora, ad proprias veluti ſedes concitentur? Sed niſi hac parte, contentionis cupidiores, quàm veritatis eſſe velitis, iam & vos videmini, vel inuiti, noſtram de loco ſententiã approbantes, liberiùs dilatare; Nos verò tantã vltrò beneficentiam renuentes, noſtrę opinionis anguſtia contenti, faciliùs rem tutabimur; tanta ſiquidem attrahentiũ varietas, diuerſis illecta cõmodis, ſolicitata artibus, impulſa viribus, vnica loci ratione agitari, nec ſenſus poterit, nec ratio ſuadere. Sed quid plura vbi poterit veritas contra omnium inſidias facilè ſe per ſe ipſa tueri, vnòq; ſui aſpectu difficultatum etiã turbidiſſima tranquillare? quo ſolo nomine, etſi in his exercitationibus, nec tantulum veritatis me attigiſſe cenſerem; adhuc tamen animum illud ſaltem recrearet, atq; reficeret: vniuerſa enim ingenuè pertractaui, nec ad auctoritatis imperium, ſed ad vnius veritatis nutum oratione conuerſa; vt quamuis veritatem non aſſequutus, perpetuò tamen, & acriter inſectatus, rationum momenta exquiſierim, nullas argumentorum ſemitas nõ atterarim, omnia pro meis viribus exercuerim, potiùſque Mineruę, quàm Momo ſatisfacturus, liberè mentis ſenſa, veritati conſecrata expreſſerim.

Cur omnia, quæ attrahũtur, nequeât vnica loci ratione explicari.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

Digitized by Google

NOTABILIVM RERVM INDEX.

A

ACademici munus, quod ſit. pag. 9
Accidētia nō conſtituunt rationem ſcientiæ. 28
Adorantium inſtitutum. 114
Aer ut congruat cum aqua. 42
Aer ad proprium locum qua vi recurrat. 43
Aer non eſt pluuiarum materia. 64
Aer vapore leuior. 67
Aer per ventos commotus, quæ commoda pariat. 72
Aer in quo terram ſuperet. 152
Aeris ornatus cum terræ ornamento confertur. 151
Aeris, & ignis affinitas. 42
Aeris cum vapore collatio. 67
Aeſtate quidam fluuij abundantiores, quàm hyeme. 77
Alberti ſententia de nutrimēti motu reprobatur. 86
Albertus quomodo dixerit nutritionem fieri ad ſpeciem ſentientis. 91
Alberti de magnete attrahente ferrum ſententia. 184
Alberti error in colore Charadrij. 155
Alcmeonis de nutrimenti attractione opinio refertur, atque refellitur. 85
Alexander Magnus quam fortunam non tulerit. 107
Alimentum non per ſe mouetur ad membra. 86
Alimentū vberrimum attrahunt plantæ. 86
Alimentum debet eſſe ſimile nutriendis partibus. 88
Alimentum cur ab oſſibus trahatur ſinè fibris. 89
Alimentum quæ membra primò attrahunt copioſas habent fibras. ibidem
Alimenti attractio, vt fiat per calorem. 92
Alimentum ex Ariſtotele vertitur in vaporem. ibidem
Alimentum ex Galeno ad modum exhalationis vertitur in particulas. ibidem
Alimentum debent membra purum allicere. 102
Amor omnium affectuū vehementiſſimus. 30
Amor inter magnetē, & ferrū. 177
Andreas Laurentius de fibrarum miniſterio improbatur. 87
Anima rationalis ad corpus quomodo ſe habeat. 4
Anima cur in corpus incluſa. 8
Animam rebus omnibus multi falsò concesserunt. 32
Animam ſemini, & ſpiritibus concedentes quibus incommodis afficiantur. ibidem
Anima non attrahit quod extra pro-

Digitized by Google

proprium corpus eſt. 180
Anima corpus mouet contra elementorum impetum. 195
Animi affectus cur alterent corpus. 95
Animalium quorundam in quadã peculiaris veneratio. 124
Animalibus infixus clauus quomodo putredinis remediũ ſit. 109
Animata ſolũ propriè attrahũt. 29
Animata ſolùm attrahunt per ſimilitudinem. 49
Animata ſolùm poſſunt à ſimilibus allici. 51
Animata quãdo varietate capiantur. 52
Animata omnia ex duobus conſtituuntur. 53
Annibalem quæ eneruarunt. 107
Antiquorum mos in philoſophando. 78
Appetit ſimile ſuum ſimile. 49
Appetit vnumquodque ſui conſeruationem. ibidem
Appetatur ſimile cur à ſimili. ibid.
Aquam quomodo terra oppugnet. 2
Aqua vt contendat in aerem. ibidẽ
Aquam vt ignis ſuperet. ibid.
Aqua ſi ſenſus haberet quomodo ſe conuerteret ad aerem. 32
Aquæ, & terræ proportio. 42
Aqua quomodo repetat proprium locum. 43
Aqua, & terra ad animalium commodũ vno globo continentur. 72
Aquarum motio quam vtilitatem afferat. ibidem
Aqua maximè inter omnia elementa agitatur. 73
Aquas non attrahunt montes ad modum ſpongiarum. 75
Aqua ad montes efferri non poteſt ab exhalatione. 76
Aqua non effertur ad montes per compreſsionem terræ. 77
Aquarum naſcentium origo ex aere, atque vaporibus. 78
Aqua è nubibus dilabens cur ſe colligat in orbem. 176
Arborum ſuprema altitudo. 83
Argentum viuum per corpus diſperſum ab auro in ore contento attrahitur. 169
